De instituto officialis sive vicarii generalis episcopi

dissertatio,

quam scripsit et Reverendissimi Theologorum Catholicorum Ordinis

Consensu et Auctoritate

Ad Gradum Doctoris in SS. Theologia Rite Obtinendum

in

Alma Literarum Universitate Viadrina

Die XXI. Mensis Decembris Anni MDCCCIC Hora XII.

In Aula Minore

Publice defendit

Carolus Schmalz,
Presbyter Archidioeceseos Olomucensis, capellanus Katscheriensis,

Contra Adversarios

Maximilianum Unterlauff,
vicarium ecclesiae cathedralis Vratislaviensis,
Joannem Blaschke,
SS. Theol. cath. Cand.

Vratislaviae,
Typis R. Nischkowsky.
MDCCCIC.

Celsissimo et Reverendissimo

Principi

Domino, Domino

Theodoro Kohn,

Divina Miseratione et S. Sedis Apostolicae Gratia

Archiepiscopo Olomucensi,

Principi, Duci, Regiae Capellae Bohemiae Comiti,
Suae Caes. Et Reg. Apostolicae Majestatis Consiliario
Intimo Actuali,

SS. Theologiae Doctori,

Etc. Etc. Etc.

Sacrarum scientiarum munificentissimo

Fautori et Protectori,

Domino Suo Gratiosissimo

Hasce Studiorum Primitias

Animo grato summaque reverentia

dedicat

Humillimus

Auctor.

Prooemium.

Licet haud pauci auctores v. g. Sbrozzius, Leurenius, Ferraris, Thomassinus, Bouix, de Moy et Friedle ex professo ea tractantes, quae meae mandabam disquisitioni, ante me plurima iam collegerint de instituto officialis sive vicarii generalis episcopi, tamen dissertatio mea fortasse non erit supervacanea. Cum enim historiam officialis sive vicarii generalis episcopi praedictorum auctorum alii brevissime tantum memorent, alii minus clare describant omnesque illi procedentibus suis tractatibus historiae nullam fere faciant mentionem, praecipue historiam huius instituti spectans eam uberrime illustravi et procedente mea dissertatione ubique respexi. Insuper officialis sive vicarii generalis episcopi historiam primaevam et extremam in archidioecesi Olomucensi enarrare sum conatus. Ceterum et studia mea de historia huius instituti cum iis auctoris Pauli Fournier, cuius monographiam „Les Officialités au moyen-âge" acquirere demum potui studiis meis iam absolutis, in universum considerata conveniunt, licet mihi alii quam illi praesto essent fontes historiae.

Index.

De instituto officialis sive vicarii generalis episcopi.

Prooemium.

Pag.

Cap. I. De praecipuis adiutoribus episcopi in iurisdictionis negotiis primis duodecim ecclesiae saeculis . . . . 1.

§. 1. De presbyteris et diaconis . . . . 1.

§. 2. De archidiaconis . . . . 3.

Cap. II. De instituti officialis sive vicarii generalis episcopi initiis et historia . . . . 6.

§. 1. Praeambula . . . . 6.

§. 2. De initiis et historia officialis episcopi primaeva . 8.

§. 3. De initiis et historia vicarii generalis episcopi primaeva . . . . 14.

§. 4. De officialis sive vicarii generalis episcopi historia 19.

§. 5. De officialis sive vicarii generalis episcopi historia primaeva et extrema in archidioecesi Olomucensi . 29.

A. De historia primaeva . . . . 29.

B. Historiae extremae brevis conspectus . . . 38.

Cap. III. De notis singularibus officii officialis seu vicarii gen. . . 40.

§. 1. De notis singularibus officii officialis seu vicarii gen. et historia spectata et iure communi . . . . . . 41.

§. 2. De mandato officiali seu vicario gen. generaliter faciendo . . . . 43.

§. 3. De identitate fori episcopi et officialis seu vicarii gen. 45.

Cap. IV. De iurisdictione officialis sive vicarii gen.. . . . . 49.

§. 1. De diversis diversorum auctorum opinionibus de iurisdictione officialis seu vicarii gen. . . . . . . 49.

§. 2. De iurisdictione officialis seu vicarii gen. initiis et historia primaeva testantibus mandata seu vicaria. 51.

§. 3. De iurisdictione officialis seu vicarii gen. iure communi facta ordinaria . . . . 55.

Pag.

Cap. V. De officialis seu vicarii gen. constitutione . . . . 58.

§. 1. De potestate episcopi unum officialem seu vicarium gen. constituendi . . . . 58.

§. 2. De qualitatibus, quas officialis seu vicarius gen. debet et quas non debet habere . . . . 61.

§. 3. De forma constitutionis officialis seu vicarii gen. . 63.

Cap. VI. De potestate officialis seu vicarii gen. . . . . 64.

§. 1. De potestate officialis episcopi ab ipsius initiis usque ad Bonifacium VIII. . . . . 64.

§. 2. De episcopalis iurisdictionis negotiis mandatum speciale requirentibus . . . . 66.

§. 3. De duplici via, qua obtinetur potestas tractandi actus speciale mandatum requirentes . . . . . . 69.

Cap. VII. De exspiratione iurisdictionis officialis seu vicarii gen. episcopi . . . . 70—72.

Caput I.

De praecipuis adiutoribus episcopi in iurisdictionis[1]) negotiis primis duodecim ecclesiae saeculis.

„Magni momenti in universae Dioecesis negotiis expediendis" [2]) a saeculi XII. fine est officialis sive vicarii generalis episcopi officium. Si quis autem putaret eius officium iam ante XII. saeculum in organismo exstitisse ecclesiae catholicae, scrutans fontes historicos se deciperet. Nam negotia, quae ad eius spectant officium, ab exordio ecelesiae usque ad supra dictum saeculum aliae personae ecclesiasticae obibant, quarum historia clavis est ad historiam officialis sive vicarii generalis episcopi.

§. 1.

De presbyteris et diaconis.

1. Primis quatuor ecclesiae saeculis erant illae personae ecclesiasticae presbyteri et diaconi. Nam testante disciplina ecclesiastica a primis saeculis accepta et ad nostra usque tempora conservata episcopi deputabantur „in ipsa Ordinatione singuli ad suam respective singularem Ecclesiam sive Dioe-

---

[1]) Distinguas sacros actus ordinis episcopalis ab episcopalis iurisdictionis negotiis, de quibus solis erit in sequentibus capitibus sermo. Cfr. Benedicti P. XIV. De Synodo Dioecesana. Lib. I. Cap. 4. §. 1. Ferrariae 1756. et Fournier, Les Officialités au moyen-âge, Paris 1880., Introduction, pag. V.

[2]) Acta et Decreta Sacrorum Conciliorum Recentiorum Collectio Lacensis. Tom. VII. Acta et decreta SS. Concilii ,Vaticani. Appendix. Schema VI. Caput VII. De Vicario Generali. Frib. Brisg. 1890. — Cfr. Martin, Omnium Concilii Vaticani . . . Documentorum Collectio. Schema 1., c. 7., pag. 128., Paderbornae 1873.

cesim[1]). Ecclesiastica haec disciplina ad ecclesiastici regiminis perturbationem tollendam valde erat necessaria. Propterea vetuit Concilium et Nicaenum[2]) anno 325., ne duo essent episcopi in una ecclesia sive dioecesi, et Antiochenum[3]), anno 341., ne episcopus in alienam irrrueret dioecesim. In sua autem dioecesi unusquisque episcopus regebat gregem fidelem sibi adscriptum „tamquam primarius et principalis Pastor[4])“. Cum autem episcopus in sua dioecesi nec ubique esse nec omnia per se ipsum negotia expedire valeret, consonum erat rationi et necesse, ut episcopus iam illo tempore, cum numerus fidelium adhuc esset exiguus et tota dioecesis merito diceretur parochia, eo magis secta et partita dioecesi in plures ecclesias parochiales seu parochias[5]) molem negotiorum in plures divideret[6]) et haberet suos adiutores, qui una cum episcopo populi curam atque ecclesiae regimen susciperent „cum quadam ad ipsum Episcopum dependentia et subiectione[7])“. Tales adiutores iam ab exordio ecclesiae a iure divino adiuncti episcopo in populi cura ac regimine ecclesiae erant presbyteri[8]) et diaconi[9]), qui in civitate episcopali constituebant synedrium et senatum episcopi[10]), ita ut episcopus iis uteretur ut membris suis in administranda dioecesi deputans ei, quem cuique videret aptum, muneri[11]). Extra civitatem episcopalem saec. IV. memorantur

---

[1]) Van Espen, Ius ecclesiasticum universum, Part. I. Tit. 16. c. 4. n. 1., Coloniae Agrippinae 1702.

[2]) Can. 8. in fine: *„ἵνα μὴ ἐν τῇ πόλει δύο ἐπίσκοποι ὦσιν.“* Apud Harduinum Ioannem S. I., Acta Conciliorum, Parisiis 1715., Tom. I. pag. 327. — Cfr. Hefele, Conciliengeschichte, I. Bd. pag. 408. ed. II. Frib. Brisg. 1873.

[3]) Capitulum 22.: *„Ἐπίσκοπον μὴ ἐπιβαίνειν ἀλλοτρίᾳ πόλει τῇ μὴ ὑποκειμένῃ αὐτῷ, μηδὲ χώρᾳ τῇ αὐτῷ μὴ διαφερούσῃ ἐπὶ χειροτονίᾳ τινὸς . . .“* Harduin. Tom. I. p. 603.

[4]) Van Espen, l. supra c.

[5]) Ferraris, Bibliotheca Canonica, Tom. V. vide v. parochia n. 7. et 8., Romae 1767.

[6]) Rupprecht, Notae historicae, pag. 165, Venetiis 1764.

[7]) Van Espen, l. c., Part. I. Tit. 16. c. 4. n. 3.

[8]) I. Petr. 5, 1 et 2.

[9]) Act. Apost. 6, 1—6.

[10]) Constitutiones Apostolicae, ed. Guil. Ültzen, Suerini et Rostochii 1853., Lib. II. c. 28.: *„εἰσὶ γὰρ συνέδριον καὶ βουλὴ τῆς ἐκκλησίας“* et Lib. II. c. 44.

[11]) S. Ambrosii Mediolanensis episcopi opera, De Officiis Ministrorum Lib. 2. cap. 27., studio monachorum ord. s. Benedicti e congreg. s. Mauri, Venetiis 1751. Tom. III.

chorepiscopi vices episcopi supplentes in remotioribus dioecesis partibus et aliqua iurisdictione praediti[1]) qua vicarii episcopi[2]).

2. Per eminentiam autem diaconi dicebantur ministri[3]) episcopi, cum essent auris et oculus et os et cor animaque eius, ad quem cuncta referebant, causas autem omnes minores per se moderabantur accepta ab episcopo ad id potestate[4]). Minoribus clericis praeerant eosque ab officio removere poterant, si hoc opus esset absente episcopo[5]). Cum autem diaconi praecipue in omnibus externae administrationis et dioecesis regiminis negotiis episcopo assisterent eorumque numerus minor esset quam presbyterorum, adipiscebantur paulatim magnam auctoritatem[6]), quae iam initio saec. IV. in primum eorum contrahebatur, decursu saeculorum crescebat et summum culmen consecuta est in archidiacono.

§ 2.

De archidiaconis.

1. Sicut iam a saec. IV.[7]). inter civitatis episcopalis presbyteros presbyter aetate et ordinationis tempore senior[8]), qui archipresbyter dicebatur, presbyteris et presbyteralibus

---

[1]) Laemmer, Institutionen d. kath. K. R., pag. 261., Freiburg 1892. ed. II.

[2]) Concil. Ancyran. anni 314. c. 13. ex collect. Isidori Mercator., apud Harduin., Acta Concil., Tom. I. p. 276.

[3]) Concil. Nicaen. can. 18. Hefele, Conciliengeschichte, I. Bd. ed. II. pag. 423: „*εἰδότες ὅτι τοῦ μὲν ἐπισκόπου ὑπηρέται εἰσί.*“

[4]) Constitutiones Apost., ed. Ültzen, Lib. II. c. 44.: „*Πλὴν ἔστω ὁ διάκονος τοῦ ἐπισκόπου ἀκοὴ καὶ ὀφθαλμὸς καὶ στόμα καρδία τε καὶ ψυχή, ἵνα μὴ ᾖ τὰ πολλὰ μεριμνῶν ὁ ἐπίσκοπος ἀλλὰ μόνα τὰ κυριώτερα· . . . Καὶ πάντα μὲν ὁ διάκονος τῷ ἐπισκόπῳ ἀναφερέτω, ὡς ὁ Χριστὸς τῷ πατρί· ἀλλ' ὅσα δὲ δύναται εὐθυνέτω δ' ἑαυτοῦ, λαβὼν παρὰ τοῦ ἐπισκόπου τὴν ἐξουσίαν., . . . τὰ δ' ὑπέρογκα ὁ ἐπίσκοπος κρινέτω.*“

[5]) Const. Apost., l. c., Lib. VIII. c. 28.: „*Διάκονος ἀφορίζει ὑποδιάκονον, ἀναγνώστην, ψάλτην, διακόνισσαν, ἐὰν ᾖ τι τοιοῦτον μὴ παρόντος πρεσβυτέρου. .*“

[6]) Benedict. XIV., l. supra c., Lib. XI. c. 2. §. 2.

[7]) Hieronymi epist., CXXV. Ad Rusticum: „Singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi: et omnis ordo Ecclesiasticus suis rectoribus nititur.“ Tom. I. ed. Dominici Vallarsii, Veronae 1734.

[8]) Thomassinus, Vetus et nova ecclesiae disciplina circa beneficia et beneficiarios, Magontiaci 1787, Part. I. Lib. 2. c. 3. n. 2.

praeerat officiis ad vicem episcopi[1]), ita et e diaconis, cum propter fidelium multitudinem et negotia episcopi multiplicarentur clericoque nemini liceret „causam in publico examinare[3]), quae multiformia negotia episcopo, si ea ipse absolvisset, nullum tempus lectioni et orationi et verbo Dei[3]) praebuissent, magis industriosus ab episcopo quasi praecipuus[4]) eius minister ad obeunda omnia „episcopii[5])" negotia eligebatur[6]) eique nomen erat archidiaconus. Et si iam saec. V. archidiaconi auctoritas ita creverat, ut sine causa et sine figura iudicii[7])" rursum deiici non posset, haud mirum; et si saec. VI. non solum tota episcopalis iurisdictio tam in spiritualibus quam in temporalibus et visitatio parochiarum et ecclesiarum ei erat commissa[8]), sed et archipresbyter civitatis si ei suberat[9]), hoc nil aliud erat quam consequens. Uno verbo archidiaconus erat episcopi vicarius in omnibus[10]).

2. Haec amplissima eius potestas, in occidente[11]) nempe, quoad territorium saec. IX. eo restringebatur, quod in maioribus

---

[1]) C. 1. X. de offic. Archipresbyteri. 1. 24. (Ex concilio Toletano). — Cfr. adnot. ad c. 1. Dist. XXV. C. I. Canonici ed. Aemilii Ludovici Richter. Lipsiae 1839.

[2]) Concilium (apocryphum), quod s. P. Silvester celebravit praesente Constantino Augusto: „Silvester episcopus dixit: Nulli omnino clerico licere, causam quamlibet in publico examinare, nec ullum clericum ante iudicem laicum stare. Et dixerunt episcopi: Placet." Harduin. Tom. I. p. 528. — Cfr. Maassen, Geschichte der Quellen und der Literatur des canonischen Rechts im Abendlande, I. Bd. pag. 412, Gratz, 1870.

[3]) Statuta ecclesiae antiqua (Bruns, Canones Apostolorum et Conc., Berolini 1839, Part. I. pag. 143).

[4]) Van Espen, l. c., Part. I. Tit. 12. c. 1. n. 1.

[5]) S. Leonis Magni opera, Venet. 1753. (ed. Ballerini), epist. 132., tom. I. col. 1262.: „Omne quod episcopii nostri est, modeste faciens ipse responsum. ."

[6]) Binterim, Die vorzüglichsten Denkwürdigkeiten d. christ-kath. Kirche, Mainz, 1825, I. Bd. I. Th. p. 389 et sequ., ubi uberius de constitutione disserit archidiaconi.

[7]) Thomassinus, l. c., Part. I. Lib. II. c. 17. n. 5.

[8]) C. 1. §. 11. Dist. 25.

[9]) C. 1. X. de officio Archipresbyt. 1. 24. (Ex concilio Toletano).

[10]) C. 1. X. de offic. Archidiaconi. 1. 23. (Ex libro Romani ordinis).

[11]) Thomassinus, l. c., Part. I. L. 2. c. 19. n. 11.

dioecesibus non uti retroactis saeculis unus[1]) tantum, sed plures[2]) constituebantur singulisque distincti dioecesis districtus assignabantur, archidiaconatus[3]) dicti, qui plures continebant parochias. Archidiaconus civitatis episcopalis, archidiaconus magnus dictus, caeteris dioecesis archidiaconis, ruralibus dictis, antecellebat[4]). Non autem restringebatur eorum potestas. Imo archidiaconorum iurisdictio, quae origine sua erat delegata (vicaria) spectans tantum ad ea, quae episcopi iis tradebant[5]) vel imperabant[6]), saec. XII. iam erat ordinaria (propria)[7]). Nam episcopi vices suas archidiaconis generaliter et pene semper committere, et ipsi iurisdictionem suam „etiam absentibus Episcopis vi suae generalis et solitae commissionis per se exercere[8])“ solebant habentes propria tribunalia, a quibus ad episcopos procedi debebat[9]), quo facto finis, ad quem episcopi sibi cooptaverant archidiaconos, erat sublatus. Archidiaconi de facto iam non erant praecipui (speciales, personales) episcoporum adiutores et vicarii. Propterea episcopi aliqui ad finem saec. XII. iisdem fere ac episcopi saec. IV. multisque adhuc aliis coacti causis novos sibi eligebant in iurisdictionis munere adiutores.

---

[1]) Concil. Emeritens. anno 666. c. 10., Harduin. Tom. III. p. 1002.: „sancimus, ut omnes episcopi in cathedralibus nostris ecclesiis singuli nostrum archidiaconum habere debeamus.“

[2]) Concil. Cabilonens. II. anno 813. c. 15., Harduin. IV. p. 1034. et Concil. Parisiens. VI. c. 25. anno 829., Harduin. IV. p. 1313.

[3]) C. 12. X. de offic. et potest. iudicis delegati. 1. 29. (Alexander III. Eboracensi Archiepiscopo et Episcopo Conventrensi).

[4]) Laemmer, l. c., I. Thl. I. Abthl. §. 68. n. 2.

[5]) Concil. Matiscon. II. c. 7. anni 585., Harduin. III. p. 462.

[6]) Concil. Emeritens. c. 10. anni 666., Harduin. III. p. 1002.

[7]) C. 10. X. de offic. Archidiac. 1. 23.: „ad ius, ut dicebat, archidiaconale spectantes. .“ — Cfr. c. 16. X. de maioritate et obedient. 1. 33. (Honorius III. Abbati Ariminensi Trecensis dioecesis et Archidiacono et Decano S. Stephani Trecensis).

[8]) Van Espen, l. c., Part. I. Tit. 12. c. 1. n. 6.

[9]) Conciliabulum Clarendonens. anni 1164. c. 8., Harduin. VI. part. II. pag. 1603. — Cfr. Hefele, Conciliengeschichte, V. Bd. 2. Aufl. v. Knöpfler Freiburg i. Breisgau, 1886., §. 625. pag. 626.

Caput II.

De instituti officialis sive vicarii generalis episcopi initiis et historia.

§. 1.

Praeambula.

1. Causa primaria, ob quam episcopi aliqui ad finem saec. XII. novos quosdam adiutores in iurisdictionis negotiis sibi asciscere incipiebant, ut supra est dictum, ea erat, quod episcopi in illis negotiis omni adiutorio se videbant esse destitutos, cum archidiaconi ad detrimentum potestatis et auctoritatis episcopalis amplissimam suam potestatem in dies augerent, subditos suos avaritia ducti indebitis exactionibus vel procurationibus gravarent [1]), curam animarum inconsulto episcopo committerent, vacantes ecclesias occuparent [2]) et ita administrationis dioecesis unitatem perturbarent et ecclesiasticam disciplinam. At remotis his aliisque archidiaconorum excessibus et ut taceam de magnitudine multarum dioecesum et de frequenti episcoporum absentia a suis dioecesibus et ut taceam etiam de invaletudinibus corporalibus nonnullorum episcoporum et de variis adhuc vitae humanae impedimentis, quae non semper permittebant, ut episcopi per se ipsos omnia occurrentia valerent expedire negotia [3]), adhuc alia gravissima erat causa originis officialis sive vicarii generalis episcopi.

2. Saeculo iam XII. forum ecclesiasticum ad instar fori saecularis regebatur. Floruit illo tempore in Italia vicinisque provinciis studium iuris civilis publiceque praelegebatur ius Iustinianeum. Mox et causae in foro ecclesiastico non uti prius summarie ad instar arbitriorum, sed e praescripto legum iuris civilis cognoscebantur et decidebantur [4]). Et ipsi summi pontifices nominatim Alexander III. et Innocentius III. in suis responsis

---

[1]) Appendix ad concil. Lateran. III. anni 1179. part. II. c. 9., Harduin. Tom. VI. part. II. pag. 2722 (non 1722).

[2]) Ibidem part. 24. c. 2. et 3., Harduin. VI. part. II. p. 2798 non 1798).

[3]) Reiffenstuel Anaclet., Ius Canonicum Universum, Lib. I. Tit. 28. §. 1. n. 5., Maceratae 1763.

[4]) C. 11. X. de prob. 2. 19. (Innocentius III. in concilio generali): „Quoniam contra falsam assertionem iniqui innocens litigator quandoque non potest veram negationem probare, . . . statuimus, ut tam in ordinario iudicio quam extraordinario iudex semper adhibeat aut publicam, si potest habere,

ad episcopos auctoritate legum utebantur [1]). Harum legum peritiam deposcebant et frequentissimae ad episcopos delegationes Pontificiae [2]), ad quas accedebant graves causae matrimoniales et civiles, cum laicis tunc temporis integra esset libertas, ut dimissis iudicibus saecularibus causarum suarum decisionem episcopis deferrent [3]). Ut autem episcopi imprimis ampliorum dioecesum eo diligentius [4]) et festinantius causas illas terminare et decidere possent, necesse erat ut iidem prudentes et iuris peritos viros praecique in partem sollicitudinis fori iudicialis sibi asciscerent, praesertim cum et ius civile concederet non solum praefectis praetorio [5]), sed et iudicibus [6]), ut possent suos habere vicarios, quorum adiutorio uterentur in suis muneribus obeundis causisque civilibus cognosccendis et decidendis [6]).

3. Tali rationi nec canones obstabant. Nam cum episcopis, si pro debilitate vel pro aliqua gravi necessitate tractandis causis, quae eis a sede apostolica committebantur, adesse non possent, liberum esset, aliis personis idoneis et discretis vices suas committere [7]), eo minus prohiberi eis poterat, ne et ipsi ob easdem vel alias causas proprii tribunalis negotia idoneis traderent personis. Nam „potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum“ [8]). Talem rationem canones fovebant et propagabant. Sic in concilio Lateranensi IV. anni 1215. sancitum est, ut

---

personam, aut duos viros idoneos, qui fideliter universa iudicii acta conscribant, videlicet citationes et dilationes, recusationes et exceptiones, petitiones et responsiones, interrogationes et confessiones, testium depositiones et instrumentorum productiones, interlocutiones et appellationes, renunciationes, conclusiones, et cetera, quae occurrerint, competenti ordine conscribenda. . .“

[1]) Van Espen, l. c., Part. III. Tit. 7. c. 1. n. 1. et 12.

[2]) C. 1. et sequ. X. de offic. et potest. iudicis deleg. 1. 29. (Alexander III., Lucius III., Urbanus III., Coelestinus III., Innocentius III., Honorius III. et Gregorius IX.).

[3]) Van Espen, l. c., Part. III. Tit. 1. c. 2. n. 2.

[4]) Concil. Avenion. anni 1209. c. 11., Harduin. VI. part. II. p. 1989.

[5]) Cod. Iust. Lib. I. Tit. 38. De officio Vicarii., Corpus Iuris Civilis Dionysii Gothofredi notis illustratum, Lugduni 1652.

[6]) Cod. Iust. Lib. I. Tit. 50. De officio eius, qui vicem alicuius iudicis vel praesidis obtinet.

[7]) Appendix ad concil. Lateran. III. Part. VII. c. 5., Harduin. VI. part. II. p. 2742. (non 1742.).

[8]) Reg. 68. de Reg. Iur. in 6to V. 12. — Cfr. Reg. 72. l. c.

episcopi, si ipsi varias ob causas verbum Dei populo praedicare non possent, viros idoneos ut coadiutores et cooperatores ad id officium sibi assumerent, qui vice ipsorum id facerent [1]). Inde factum est, ut episcopi etiam in aliis praeprimis fori iudicialis negotiis, ubi ipsorum haud quaquam personale requirebatur ministerium, adiutores sibi cooptarent, officiales nempe sive vicarios generales.

§. 2.

De initiis et historia officialis episcopi primaeva.

1. Officialem sive vicarium generalem episcopi circa medium saec. XIII. iam in plerisque ecclesiae occidentalis dioecesibus viguisse sententia communis est etiam omnium eorum, qui uti Leurenius [2]), Bouix [3]), de Moy [4]) et Friedle [5]) originem eiusque historiam brevissime narrant. Uberius disserunt non solum de historia, sed et de origine non officialis, sed vicarii generalis episcopi Thomassinus et Binterim, qui de vicariis generalibus episcoporum per priora ecclesiae saecula loquentes demonstrare conantur episcopos iam illis temporibus viros secum habuisse, qui eadem ac nostri vicarii generales episcoporum obirent munera. Tales vicarii generales in oriente erant patri suo s. Gregorius Nazianzenus, Eusebio Caesareensi s. Basilius et Flavio Antiocheno s. Chrysostomus; in occidente s. Ambrosio Mediolanensi Simplicianus et Valerio Hipponensi s. Augustinus, qui viri vero non vicarii generales, sed potius coadiutores aut administratores episcopis erant illis adiuncti [6]). Insuper generale nomen vicarii, quo et chorepiscopos [7]) et oeconomos [8]) et praecipue archidiaconos [9]) in fontibus ornatos invenimus, nostros vicarios

---

[1]) Concil. Lateran. IV. c. 10., Harduin. VII. p. 27. — Cfr. C. 15. X. de offic. iudic. ordinar. 1. 31. (Innocentius III. in concilio generali).

[2]) Vicarius Episcopalis, Cap. I. §. 1. Quaest. 5., Coloniae Agrippinae 1708.

[3]) De Iudiciis ecclesiasticis, Part. II. sect. 2. c. 1., pag. 347. et sequ., Parisiis 1855.

[4]) Vom bischöflichen Generalvicar. Archiv f. kath. K. R. IV. Bd. p. 403.

[5]) Über den bischöflichen Generalvicar. Archiv f. kath. K. R. XV. Bd. p. 339.

[6]) Binterim, l. c., I. Bd. II. Thl. p. 420.

[7]) Concil. Ancyran. anni 314. c. 13., Harduin. I. pag. 276.

[8]) Concil. Hispalen. II. anni 619. c. 9., Harduin. III. p. 560.

[9]) C. 1. X. de offic. Archidiac. 1. 23.

generales iam illis et usque ad saec. XIII. sequentibus viguisse temporibus per se demonstrare non potest[1]).

2. De origine autem officialis episcopi eiusque historia primaeva praedicti auctores simulque cum iis de Moy[2]) et Friedle[3]) credentes origine et iam ab historia primaeva eundem unum[4]) fuisse et officialem et generalem vicarium et propterea originem et historian primaevam utriusque confundentes[5]) nil fere sciunt, licet tum origo tum historia primaeva officialis episcopi alia priorque sit quam vicarii generalis. Nam episcopi imprimis dioecesum ampliorum, destituti adiutorio archidiaconorum propria tribunalia et potestatem episcopis parem habentium, propter frequentem multitudinem praecipue negotiorum fori iudicialis incipiebant sibi assumere non unum, sed plures iuris peritos viros, quos ut ab archidiaconis, suis vicariis iure communi[6]) datis, etiam nomine distinguerent, officiales nominabant, quo nomen „officialis“[7]) saec. XII. in usu loquendi et ecclesiastico et saeculari ministrum in iurisdictionis negotiis generaliter significans factum est „terminus technicus“[8]). Horum officialium episcoporum vestigia prima verisimillime in amplissimis Angliae dioecesibus sub Alexandro P. III., sub cuius pontificatu (1159.—1181.) „ipsa tribunalia Ecclesiastica ad instar tribunalium saecularium“[9]) regi coeperunt, quaerenda sunt, praesertim cum ibi et excessus[10]) archidiaconorum plus quam alibi episcopos cogerent, ut eorum potestatem imminuerent et in

---

1) Cfr. Hinschius, System d. katholischen Kirchenrechts II. Bd., §. 87. Die bischöflichen Officialen und General-Vikare, pag. 205. Berlin, 1878.

2) L. c. p. 403. in fine.

3) L. c. in media pag. 339.

4) Thomassinus, l. c., Part. I. Lib. 2. c. 8. n. 5.

5) Binterim, l. c., I. Bd. II. Thl. in fine p. 422.

6) C. 1. X. de offic. Archidiac. 1. 23.

7) In c. 1. pr. Cod. Iust. de offic. diversorum iudicum. I. 48. memoratur officialis (ταξεώτης) qua minister iudicis aut magistratus seu officii verbis: „Nemo iudex aliquem officialem ad eam domum, in qua materfamilias degit, cum aliquo praecepto existimet esse mittendum.“ Decursu saec. XII. evaserunt officiales e ministris iudicum ipsi iudices.

8) Fournier, l. c., p. 3.

9) Van Espen, l. c., Part. III. Tit. 5. C. 2. n. 3.

10) In appendice ad concil. Lateran. III. anni 1179. Pars 24. De excessibus . . archidiaconorum contra suos episcopos., Harduin. VI. part. II. p. 2798.

suos officiales transferrent. At iam et in Gallia ad finem saec. XII. fuisse officiales episcoporum constat ex epistola 25. Petri Blesensis, Officiali episcopi Carnotensis inscripta[1]. Et licet episcopi officiales in adiutorium initio praecipue cum in finem sibi assumerent, ut vi mandati generalis de causis ad episcoporum forum pertinentibus eorum vices supplendo cognoscerent[2]), non mirum fecerunt episcopi, si officialibus suis et in aliis quam iudicialibus utebantur negotiis, cum divisio iurisdictionis in voluntariam et contentiosam saec. XII. nondum vigeret. Propterea amplissimam fuisse potestatem horum episcopi officialium primaeva iam demonstrat eorum historia.

3. Sic in responso, quod Alexander III. anno 1180.[3]) dedit Cantuariensi archiepiscopo eiusque suffraganeis, institutionem beneficiorum legimus spectare ad episcopos vel eorum officiales, qui hoc de iure facere possint[4]). Nominatos officiales episcoporum autem non fuisse aut archidiaconos aut ministros eorum ex eo demonstratur, quod achidiaconis multoque minus eorum ministris inconsulto episcopo personas in ecclesiis instituere non licebat[5]). Item et concilium Domini Walteri Rotomagensis archiepiscopi anni 1189. officialibus episcoporum tribuit potestatem instituendi[6]). Plane distinguuntur officiales Eboracensis

---

[1]) Van Espen, l. c., Part. III. Tit. 5. c. 1. n. 21. — Cfr. Magna Bibliotheca Veterum Patrum et Antiquorum Scriptorum Ecclesiasticorum, Tomi sive Saeculi XII. part. II., Coloniae Agrippinae 1618. et Fournier, l. c., Appendice II., p. 309. et sequ.

[2]) C. 3. in VI. de appell. 2. 15. (Innocentius IV. in concilio Lugdunensi.).

[3]) Schilling und Sintenius, Das Corpus I. Canonici ins Deutsche übersetzt. Leipzig, 1834. I. Bd. Tit. 7. c. 3.

[4]) C. 3. X. de institutionibus. 3. 7. (Alexander III. Cantuariensi Archiepiscopo et eius Suffraganeis).

[5]) In appendice ad concil. Lateran. III. Part. 24. c. 1., Harduin. VI. part. II. p. 2798. — Cfr. c. 4. X. de offic. Archidiac. 1. 23. (Alexander III. Eliensi Archidiacono), ubi archidiaconus institutionem auctorizabilem non habere dicitur, licet ipsi competat institutio realis et actualis. Cfr. ad Regul. 1. de Reg. Iur. in 6to V. 12. Glossam dicentem: „Triplex est institutio. Quaedam est institutio tituli collativa. Alia est institutio auctorizabilis. . . Alia est institutio realis et actualis, quae vocatur investitura. Duae primae pertinent ad episcopum, sed tertia pertinet ad archidiaconum.“

[6]) Capitul. 27.: „Excommunicandi etiam sunt, qui se in ecclesiasticis beneficiis sine auctoritate episcopi sive officialium suorum, ad quos pertinet, propria vel laica potestate intruserint.“ Harduin. VI. part. II. p. 1908. — Cfr. ibidem c. 8. et 22.

archiepiscopi ab eius archidiaconis in apostolicis scriptis Coelestini P. III. (1191.—1198.) ad clericos Eboracenses, per quae scripta papa propter istius archiepiscopi inobedientiam et contumaciam clericis Eboracensibus universis mandat, quatenus eidem archiepiscopo vel „officialibus eius nec in spiritualibus nec in temporalibus" praesumant aliquatenus respondere, sed si quas inter illos clericos quaestiones oriri contigerit, „quae iudicio ecclesiastico debeant terminari", ad audientiam Simonis Eboracensis decani deferant [1]). Inter illos clericos Eboracenses autem numerati sunt etiam archidiaconi. Nomina illorum officialium, qui iuris periti iique magistri erant, tradit nobis concilium celebratum Eboraci anno 1195., cum in fine decretorum huius concilii legamus: „Sed officiales Eboracensis archiepiscopi, scilicet magister Girardus de Welle et magister Honorius, appellaverunt contra privilegium illud [2]). Archiepiscopi et aliqui episcopi ergo ad saec. XII. finem plures habebant officiales, cui rationi nemo contradicebat nullusque canon obstabat. At illa ratio initio saec. XIII. ni fallor eam ob causam, quod et officiales, praesertim cum plures in eadem essent curia episcopali, turpis lucri gratia lites non exstinguere, sed suscitare et protrahere intendebant [3]), utilitatis disciplinae ecclesiasticae causa relicta est. Nam circa annum 1204. [4]) iam unus tantum memoratur officialis Vigoriensis episcopi, cui episcopo causa quaedam ab Innocentio III. erat delegata simul cum aliis coniudicibus, quorum alter erat illius episcopi officialis [5]).

4. Usque ad finem saec. XII. tantum in aliquibus iisque amplioribus citramontanis dioecesibus inveniuntur officiales episcoporum, quod institutum decursu temporis episcopis ita utile se praestiterat et necessarium, ut iam initio saec. XIII. episcopi plurimarum ecclesiae occidentalis dioecesum tales officiales sibi

---

[1]) Harduin. Tom. VI. part. II. p. 1922.

[2]) Nam decanus Simon et capitulum Eboracense privilegii sui munimine a Coelestino III. ecclesiae Eboracensi indulto asserebant ad se spectare donationem archidiaconatus Eborac. et aliorum redituum vacantium in ecclesia Eborac., cum Archiepiscopus non dedisset in fixum (6 mensium) Lateranensis concilii terminum. Harduin. VI. part. II. p. 1934.

[3]) Van Espen, l. c., Part. III. Tit. 5. c. 1. n. 28.

[4]) Schilling und Sintenius, l. c., II. Bd. p. 197.

[5]) C. 25. X. de offic. iudic. deleg. 1. 29. (Innocentius III. Abbati de Bordellia et Priori sancti Sepulcri). — Cfr. Fournier, l. c., p. 309. et sequ.

cooptarent. Sic verba c. 11. partis 4. statutorum concilii Parisiensis[1]) ad archiepiscopum et episcopos anno 1212.: „officiales fideles habeant et prudentes sine personarum acceptione gratis iustitiam exhibentes“[2]) institutum ipsum supponunt iam pervulgatum. Et si officiales ius episcopale contra ius sic dictum archidiaconale[3]) strenue defendebant, non mirum est; et propterea passim inter officiales episcoporum et archidiaconos lites circa competentiam fori exortas esse facile est intellectu. Exempli gratia archidiaconus Senonensis anno 1220.[4]) in petitione sua ad Honorium III. missa petiit, ne abbas et conventus monasterii S. Petri Senonensis de cetero facerent aliquos de Senonensi baillivia eo praetermisso coram officiali Senonensis archiepiscopi conveniri, cui petenti defuit papa[5]). Et forsitan propterea aliqui coram officiali illius archiepiscopi convenire malebant, quia archidiaconi erant onerati nimia causarum multitudine.

5. Quae causae ut diligentius et festinantius finirentur, etiam archidiaconi eique imprimis, quorum territoria ut in Anglia, Germania, Francia et Hispania erant amplissima, ad instar episcoporum suorum ad libitum sibi eligebant officiales seu officiarios[6]) seu allocatos[7]). At iam concilium apud Castrum Gonterii[8]) anni 1231. c. 12. statuit, ne archidiaconi (et archipresbyteri seu decani[9]), quorum hic porro mentionem non faciam, quod qua inferiores praelati illis temporibus suberant archidiaconis) extra civitatem officiales haberent, sed extra civitatem in personis propriis officium suum explerent. Et cum concilium Turonense[10])

---

[1]) Hefele, l. c., V. Bd. II. ed. §. 646. p. 865.

[2]) Harduin. VI. part. II. p. 2016.

[3]) C. 10. X. de offic. Archidiac. 1. 23. (Honorius III. Abbati Ariminensi Trecensis dioecesis, et Archidiacono et Decano S. Stephani Trecensis).

[4]) de Moy, l. c., p. 407.

[5]) C. 10. X. de offic. Archidiac. 1. 23.

[6]) Constitutionum Ricardi Poore Sarum episcopi anno 1217. c. 26., Harduin. VII. p. 97. — Concil. Oxoniens. anni 1222. c. 32., Harduin. VII. p. 122. — Cfr. c. 3. in VI. de appell. 2. 15.

[7]) Concil. Turon. anni 1239. c. 8., Harduin. VII. p. 324.

[8]) Harduin. VII. p. 193.

[9]) Concil. apud Salmurum anni 1253. c. 8., Harduin. VII. p. 443.

[10]) Harduin. VII. p. 263. — Cfr. concil. Budens. anni 1279. c. 38. Ut archidiaconi iuri canonico per triennium studuerint vel studeant. Harduin. VII. p. 801.

anni 1236., ut numerus officialium archidiaconorum minueretur, c. 4. de officialibus statuisset, quod nulli statuerentur officiales, nisi per quinquennium iura audivissent vel per causarum exercitium iudicandi officio essent merito approbati, concilium apud Vallem Guidonis [1]) anni 1242. c. 4. soli civitatis archidiacono, qui alias officiales habere consuevit, officiales habere permisit. Potestatem autem illorum officialium et ipsorum archidiaconorum, qui „falcem suam ad messem alienam mittentes ad illicita manus suas et prohibita mittere“ [2]) non desistebant, episcopi maxime eo imminuebant, quod causas graviores uti matrimoniales, simoniae vel alias, quae degradationem vel amissionem beneficii vel depositionem exigebant, paulatim ad sua tribunalia tractas [3]) magis suis officialibus quam archidiaconis cognoscendas tradebant. Nam consistorium sive auditorium episcopi eiusque officialis erat unum idemque [4]). Propterea crescente potestate episcopi crescebat et ea officialis. Imprimis officiales archiepiscoporum magnae erant potestatis in suffraganeos. Sic Remensis archiepiscopus praeter suum officialem, qui sicut archidiaconus magnus in principali degens loco officialis principalis [5]) vocatur, sibi officiales foraneos, qui sicut archidiaconi rurales extra civitatem episcopalem degebant, constituit eosque in dioecesibus suorum suffraganeorum etiam pro futuris causis per appellationem devolvendis ad ipsum, quod inhibens Innocentius IV. simul decrevit, ne in futurum officiales i. e. neque principalis neque foranei, non solum Remensis, sed et aliorum metropolitanorum, donec archiepiscopus de facili posset haberi, suffraganeos auderent excommunicare, suspendere aut interdicere [6]). Statim autem mihi hic liceat breviter annotare

---

[1]) Harduin. VII. p. 348. — Cfr. c. 2. concil. Langesiens. circiter annum 1278., Harduin. VII. p. 759.

[2]) Concil. ad Vallem Guidonis anni 1236. c. 4., Harduin. VII. p. 348.

[3]) Ibidem. — Cfr. c. 5. X. de offic. Archidiaconi. 1. 23. (Alexander III. Vigoriensi episcopo), ubi iam ab Alexandro III. potestas sine auctoritate et episcopi consensu excommunicandi archidiaconis denegatur.

[4]) C. 3. in VI de appell. 2. 15.

[5]) Clem. 2. I. 2. de rescriptis (Clemens V. in concilio Viennensi).

[6]) C. 1. in VI. de offic. ordinarii. 1. 16. (Innocentius IV. in concilio Lugdunensi). — Cfr. c. 34. concil. Bituric. anni 1286.: „statuimus, quod officialis noster Bituricensis, et alii iudices nostri, jurisdictionem suffraganeorum, et aliorum ecclesiasticorum iudicum subditorum nostrorum, scienter per malitiam non impediant.“ Harduin. VII. p. 961.

potestatem neque officialium episcoporum neque archidiaconorum neque officialium eorum in iis dioecesibus, ubi nominati viguerint, fuisse aequalem, sed potestatem officialium episcoporum in plerisque dioecesibus paulatim crevisse decrescente paulatim in plerisque dioecesibus potestate archidiaconorum eorumque officialium. Si supra demonstravi iam initio saec. XIII. officiales episcoporum fuisse pervulgatos et episcopos plurimarum ecclesiae occidentalis dioecesum officiales sibi cooptasse, illic plurimarum Angliae, Germaniae [1]), Franciae et Hispaniae dioecesum episcopi erant dicendi. Nam Italiae eique vicinarum dioecesum episcopi initio saec. XIII. non officiales, sed vicarios in iurisdictionis munere sibi eligere incipiebant. Quorum vicariorum et initia et historiam primaevam aliam esse posterioremque officialium episcoporum sequens declarabit paragraphus.

§ 3.

De initiis et historia vicarii generalis episcopi primaeva.

1. Licet auctorum Thomassini et Binterim sententiam vicarium nostrum generalem episcopi iam III. et IV. ecclesiae viguisse saeculis, quam superiori paragrapho posui erroneam, Bouix, de Moy et Friedle locis iam citatis merito prorsus ignorent et recentioris [2]) esse institutionis vicarium generalem episcopi eumque saec. demum XIII. universim [3]) invaluisse affirment, tamen nec ipsi confundentes uti Thomassinus et Binterim initia et historiam primaevam officialis et vicarii generalis novi quid certique referunt de origine et historia primaeva nec officialis episcopi nec vicarii generalis. Fournier vero de officiali episcopi uberrime disputans vicarium generalem origine et historia sua primaeva ab officiali episcopi distingui breviter tantum indicat [4]). Initia et historiam primaevam officialis, qui licet non in Gratiani decreto, tamen in Gregorianis haud raro memoratur decretalibus, iam tradidi. Restat, ut initia referantur et historia primaeva vicarii generalis episcopi, qui conatus eo est difficilior, cum nec in Gratiani decreto nec in Gregorianis decretalibus uno

---

[1]) Binterim, l. c., I. Bd. II. Thl. p. 421.

[2]) Bouix, l. c., part. II. p. 347.

[3]) Thomassinus, l. c., Part. I. Lib. 2. c. 8. n. 4.

[4]) L. c., p. 22.: „il (l'official) correspond aux vicaires généraux du droit postérieur,“ et p. 23.

exemplo excepto inveniri possint vestigia illius. Tituli vero, qui inscribitur de officio vicarii, c. I.—IV. agunt nonnisi de vicariis seu perpetuis seu temporariis parochorum aliorumque beneficiorum inferiorum et c. V. de iurisdictione, quam vicarius papae, qui si a Roma aliquamdiu absens sit furturus, in urbe habet, non extra urbem [1]).

2 Angliae, Germaniae, Franciae et Hispaniae dioecesum praesules supra enumeratis causis coacti officiales sibi cooptabant, Italiae dioecesum rectores autem sequenti de causa vicarios (generales). Cum archidiaconi in illarum terrarum dioecesibus ea iura, quae olim ab episcopis propter amplitudinem dioecesum causarumque frequentationem ipsis essent concredita et consuetudinis postea adminiculo roborata [2]), obtinerent magnaeque propterea essent auctoritatis, in Italiae dioecesibus propter earum angustos et coarctatos limites [3]) nullibi ipsis tanta tribuebatur iurisdictio, sed ipsorum facultates ad quaedam dumtaxat levioris momenti negotia restringebantur [4]). Querelas de archidiaconorum excessibus, quas praecipue saec. XII. et XIII. in actis fere cuiusvis maioris illarum terrarum concilii invenies [5]), in Italiae conciliis exceptis ibi celebratis generalibus frustra quaeres, cum archidiaconi ibi totius animarum curae et iurisdictionis essent expertes [6]). Italiae episcopi toti parvarum suarum dioecesum regimini ipsi sufficiebant nec absolute adiutorum indigebant perpetuorum. Ita se ibi res habebant saec. XII., ad cuius iam finem studio iuris civilis inter ipsos clericos invalescente immutabatur forma sive modus exercendi iudicia ecclesiastica. Causae ad forum pertinentes ecclesiasticum cum strepitu omnibusque solemnitatibus et formalitatibus forensibus tractabantur et decidebantur [7]). Multiplicatis autem illa immutatione et negotiis episcoporum

---

[1]) C. 1.—5. X. de offic. vicarii. 1. 28. (Alexander III. et Innocentius III.).

[2]) Thomassinus, l. c., Part. I. Lib. 2. c. 20. n. 12.

[3]) Benedictus XIV., De Synod. Dioeces., Lib. 3. c. 3. §. 8. — Cfr. Binterim, l. c., I. Bd. 1. Thl. p. 401.

[4]) Benedict. XIV., l. c., Lib. 3. c. 3. §. 9., ubi auctor de vicariis foraneis loquens et archidiaconos significat. — Cfr. ibidem Lib. 3. c. 3. §. 7.

[5]) Harduin. VI. part. II. Acta Concil.

[6]) Archidiaconos saec. XII. vere ibi qua dignitarios dumtaxat in capitulis cethedralium exstitisse demonstrant verba concil. Pisani anni 1134. Harduin. VI. part. II. p. 1198.

[7]) Van Espen, l. c., Part. III. Tit. 1. c. 2. n. 24.

praecipue ampliorum dioecesum episcopi necessitate coacti iam ad illius saec. finem adiutores sibi cooptabant, quos ab archidiaconis distinguentes officiales nominabant. Necessitatem adiutores sibi assumendi et episcopi parvarum Italiae dioecesum ad diuturnum vitare non poterant tempus sine detrimento aliorum officii episcopalis negotiorum. Huic qua proxima ansa accedit PP. Lateranensium exhortatio in capitulo concilii [1]) illius generalis sub Innocentio P. III. celebrati X. „De praedicatoribus instituendis“. Citato in capitulo PP. Lateranenses, cum „saepe contingeret, quod episcopi propter occupationes multiplices vel invaletudines corporales aut hostiles incursus seu occasiones alias (ne dicamus defectum scientiae . . .)“ per se ipsos non possent implere numeros omnes muneris sui, eos urgebant, ut non solum „in praedicationis [2]) officio coadiutores et cooperatores“ sibi assumerent, qui „plebes sibi commissas vice ipsorum, cum per se idem nequivissent, visitantes verbo et exemplo aedificarent“, sed etiam „in audiendis confessionibus et poenitentiis iniungendis ac ceteris, quae ad salutem pertinent animarum“. Tot rationibus et argumentis necessarium esse ad salutem gregis episcopis commissi, ut etiam in „ceteris, quae ad salutem pertinent animarum“, quibus merito et administratio dioecesum est adnumeranda, adiutores sibi adiungerent, generalis demonstrabat illa constitutio, „ut probabile cum primis sit tam luculento et tam necessario instituto illos brevi obsecutos esse“ [3]). Adiutores suos, quibus vices suas in administrandis committebant dioecesibus, Italiae episcopi nominabant generali nomine „vicariorum [4]) episcoporum“, praesertim cum illo tempore in illis dioecesibus distinctio horum vicariorum ab aliis episcoporum vicariis, ab archidiaconis praecipue, non esset necessaria et episcopus episcoporum cum ipse Romae in exercenda iurisdictione ad tempus haberet suum adiutorem, qui vicarius papae nomi-

---

[1]) Harduin. VII. p. 27. — Cfr. Hefele l. c., V. Bd. II. ed. §. 647. p. 885.

[2]) Capitul. 28. Ludovici Pii Imperatoris capitularis I. anno 816. edicit: „Episcopos monemus, ut sive per se, sive per vicarios pabulum verbi divini sedulo populis annuntient.“ Harduin. IV. p. 1218.

[3]) Thomassinus, l. c., Part. I. Lib. 2. c. 8. n. 2.

[4]) Iam in Cod. Iust. Lib. I. Tit. 38. agitur „de officio Vicarii“. Ille vicarius (τοποτηρητής) „pro praefecto praetorio mittebatur in tractum vel dioecesim aliquam, aliquot in se Provincias continentem“ ibique eius vicem gerebat. Gothofredus, l. c., nota „l“ ad v. vicarii huius tituli.

nabatur[1]). Demum postea „vicarii generales" videntur esse vocati, cum et ipsi ut officiales vices episcoporum in iurisdictionis negotiis generaliter explerent idque initio suae originis praeprimis episcopo in remotis agente[2]) et postea demum etiam eo praesente.

3. Quod ad tempus eorum originis attinet, iam e supra dictis elucet eos demum mox post concil. Lateranense IV. anni 1215. exstitisse. Thomassinus[3]) autem vicarios episcoporum generales aliquibus in dioecesibus iam ante dictum concilium viguisse affirmans errasse videtur, cum in quolibet fere episcopi vicario iam hodiernum conspiciat episcopi vicarium generalem non attendens citatos a se vicarios potius adiutores fuisse episcoporum in v. g. poenitentiae tribunali regendo[4]). Hoc certe in primo ab ipso citato convenit casu, praesertim cum citatum Gilduinum, abbatem S. Victoris apud Parisios, vicarium fuisse et poenitentiarium episcopi Parisiensis ipse edicat; tantum abest, ut illum abbatem qua poenitentiarium eo ipso fuisse episcopi Parisiensis vicarium edicat[5]). Eo minus e secundo ab ipso citato cognosci potest exemplo, qualis ille citatus fuerit vicarius. Ceterum ea tum parum frequentia fuisse exempla Thomassinus ipse concedit. Nil ergo meae obstat opinioni officiales episcoporum iam ad finem saec. XII., vicarios autem episcoporum generales demum mox post annum 1215. in organismo exstitisse ecclesiae.

4. In historia mentio fit vicariorum horum eaque in fontibus mihi praesentibus prima sub Honorio P. III. (1216.—1227.), qui in suo rescripto ad petitionem M. et R. Canonicorum Mutinensium

---

[1]) C. 5. X. de offic. Vicarii. 1. 28. (Innocentius III. Abbati S. Eugenii et Plebano S. Petri).

[2]) C. 9. X. de procuratoribus. 1. 38. (Honorius III. M. et. R. Canonicis Mutinensibus). — Verba Fournier, l. c., p. 23. dicentis: „Dans les premières années du treizième siècle, on n'emploie pas l'expression vicarius generalis pour désigner le mandataire d'un évêque absent; mais en pareil cas l'official, lorsqu' il agit, mentionne les pouvoirs nouveaux qu' il a reçus de l'évêque valent de dioecesibus Angliae, Germaniae, Franciae et Hispaniae.

[3]) Part. I. Lib. 2. c. 8. n. 3.

[4]) Talis episcopi vicarius vocabatur „generalis dioecesis confessor" in decreto 11. concil. Eborac. anni 1195. (Harduin. VI. part. II. p. 1932.) vel „poenitentiarius" in c. 5. synod. Exoniens. anni 1287. (Harduin. VII. p. 1079.).

[5]) Cfr. Hinschins, System d. kath. Kirchenrechts, II. Bd., §. 87. Die bischöflichen Officialen u. General-Vikare, pag. 205., Berlin 1878.

memorat episcopum Mutinensem in Livoniam profecturum praedictos canonicos constituisse „vicarios suos et procuratores generales“ [1]). Hoc est exemplum de tempore primaevo originis vicariorum episcopi. Postea unus tantum ab episcopo in dioecesi sua etiam residente constituebatur isque sicut procurator generalis aut officialis episcopi cum mandato generali. Talis vicarius generalis supponitur anno 1251. iam pervulgatus in epistolis [2]) Innocentii P. IV. ad potestates, rectores, consilia et communitates per Lombardiam eaque in prima constitutiones continente contra haereticos a magistratibus saecularibus observandas. Ibi vi constitutionis 4. sic dicti officiales, qui nullo modo, ut e contextu apparet, cum officialibus episcoporum sunt permutandi, debebant haereticos capere eosque ducere et duci facere in potestatem „dioecesani vel vicariorum eiusdem“. Vi const. 5. tenebantur magistratus saeculares haereticos captos duci facere, quocumque „dioecesanus vel eius vicarii“ voluerint illos duci, et vi const. 19. praeterea militem suum vel alium assessorem cum ipsis officialibus mittere, si „dioecesanus vel eius vicarius“ petivissent. Porro vi const. 23. illorum erat magistratuum haereticos infra quindecim dies, postquam fuerant capti, „dioecesano vel eius speciali vicario“ seu haereticorum inquisitoribus, qui fratres Minores erant vel Praedicatores, praesentare pro examinatione de ipsis et eorum haeresi facienda. Damnatos vero de haeresi per „dioecesanum vel eius vicarium“ vi const. 24. iterum illi puniendos recipere debebant. Item const. 31. mentionem facit dioecesani eiusque vicarii. Loci citati tempore Innocentii IV. (1243.—1254.) institutum vicariorum episcoporum iam pervulgatum fuisse lucide enarrant. Notabile autem est, quod in constitutionibus 4. et 15. plures eiusdem dioecesani memorantur vicarii, qui intelligendi sunt vicarii foranei [3]), cum in const. 19., 23., 24. et 31. dictus vicarius aut vicarius specialis dioecesani fuerit solus episcopi vicarius generalis. Nam soli huic uni vicario maior competit potestas uti inprimis haereticos de haeresi examinandi ac damnandi eaque propter arduitatem huius casus vi mandati

---

[1]) C. 9. X. de procuratorib. 1. 38.

[2]) Harduin. VII. p. 354.—360.

[3]) Benedict. XIV., l. c., Lib. III. c. 3. §. 8.: „Ioannes Franciscus Bonhomius, Episcopus Vercellensis, disserit de nostris Vicariis Foraneis, non tamquam recens institutis, sed veluti jamdiu antea inductis.“

specialis, ita ut hic unus et idem episcopi vicarius propterea nominetur etiam „vicarius specialis". Ab Italiae dioecesibus se extendebat hoc vicariorum institutum ad eas Italiae vicinas v. g. ad regnum Cypri, cum Odo, Tusculanus episcopus, apost. Sedis ibi legatus in sua ordinatione III. anno 1248. memoret vicarios archiepiscopi et episcoporum [1]). De ambitu autem potestatis vicarii generalis nondum potest iudicari neque in citatis locis neque in sequenti, qui tantum narrat anno 1270. Ravennae concilium provinciale habitum esse, cum in sacrarium aedis divi Vitalis convenissent plures episcopi et „Drudo, Ravennatis ecclesiae praepositus Philippique (Ravennatis) archiepiscopi vicarius inspectantibus atque assentientibus Aldevrandino archidiacono sacerdotumque choro" [2]). Ergo Italiae episcopi, quos vicinarum terrarum imitabantur episcopi, non officiales ut Angliae, Germaniae, Franciae et Hispaniae episcopi sibi cooptabant qua adiutores in iurisdictionis negotiis, sed vicarios, cum qua mea sententia et usus perantiquus convenit et consuetudo tam Datariae quam Cancellariae apostolicae literas sedis apostolicae ad regiones ultramontanas directas semper officiali, ad regiones vero citramontanas directas semper vicario generali inscribendi [3]).

§. 4.

De officialis sive vicarii generalis episcopi historia.

1. Eas praeter causas, quae fere ubique in ecclesiae occidentalis dioecesibus cogebant episcopos, ut decursu saeculorum XII. et XIII. in iurisdictionis negotiis sibi adiutores adiungerent, erant in Angliae, Germaniae, Franciae et Hispaniae dioecesibus adhuc aliae causae maximi momenti, quae in iis Italiae eique vicinarum terrarum nullo putabantur numero. Propterea differebant nomen et historia primaeva dictorum adiutorum in dioecesibus harum terrarum a nomine et historia primaeva in dioecesibus illarum. Cum autem et officiales et vicarii episcoporum, de quorum amborum historia ulteriori ab Innocentio IV. usque

---

[1]) Verba illius sunt haec: „Ad haec, tam archiepiscopo quam episcopis, aut vicariis eorundem, districtissime prohibemus, ne ad excommunicandum sint faciles." Harduin. VII. p. 1723. inter Constitutiones Nicosienses.

[2]) Harduin. VII. p. 651.

[3]) Leurenius, l. c., cap. I. Quaest. 17. n. 2.

ad pontificatum Bonifacii VIII. (1294.—1303.) silente iure communi reliqui adhuc exigui fontes nil referunt gravis, nominibus solis inter se distincti in omnium terrarum dioecesibus eidem servirent fini vices episcoporum in iurisdictionis negotiis supplentes, quandoque comparatio ut inter utrumque fieret erat necesse. Cuius comparationis erat consequentia, ut probabiliter aliqui[1]) illarum terrarum episcopi iam per tempus ab anno 1216.—1294. sua sponte praeter suos officiales aut loco eorum vicarios constituerent[2]). At ea tum parum frequentia in illis terris videntur fuisse exempla. Nam omnia pervolutans acta conciliorum ab anno 1216. usque ad annum 1294. celebratorum in VII. tomum amplum ab Harduino collecta non unum quidem inveni exemplum, quod in terrarum illarum dioecesibus ante annum 1294. loco officialium episcoporum aut praeter eos memorat vicarios episcoporum in Italiae vicinarumque terrarum dioecesibus vigentes. Articulo 21. concilii eiusque generalis Lugdunensis II. anni 1274.[3]) memorat Gregorius X. adiutores episcoporum in iurisdictionis negotiis eosque nominat „vicarios generales", uti praecipue in Italia solebant nominari. Illos autem et in aliis terris generaliter iam illo tempore eodem nuncupatos esse nomine historia impugnante locus citatus per se non demonstrat. Et si in 1. capitulo synodi Coloniensis[4]) anni 1280. constituitur, ut sacerdos „omnino extraneus vel peregrinus per episcopum vel gerentem vices episcopi seu loci archidiaconorum nonnisi cum examinatione debita approbatus" admittatur ad missae sacrificium vel ad aliquod sacerdotale officium exercendum, porro si in c. 8. dicitur: „Item praecipimus, ut

---

[1]) Schneider, Die Bischöfl. Domkapitel, Mainz 1885., pag. 173. citat iam ex anno 1290. canonicum Rodez, procuratorem episcopi Mendensis in concilio Noblatensi, qua vicarium in spiritualibus et temporalibus generalem. Apud Martène et Durand thes. 4. 211. — Item Fournier, l. c., p. 24. unum exemplum ex anno 1231.: „officialis aut vicarius episcopi".

[2]) In c. 2. synodi Pictavensis anni 1280. reprehenditur, quod „nulli decani rurales et archipresbyteri . . . varios in diversis locis Officiales constituunt, generales vicarios vel ministros quosdam, pro citationibus, in futuris causis faciendis", quo facto generales vicarii et in illa terra noti praemittuntur, licet in actis citatae synodi officialis episcopi qua unicus ipsius adiutor memoretur. Harduin. VII. p. 849.

[3]) Harduin. VII. p. 714. et artic. 27. ibidem p. 717.

[4]) Harduin. VII. p. 820. et 827.

sacerdotes nobis vel illi, cui vices nostras pro tempore in spiritualibus committimus, maiora peccata et iniunctionem poenitentiae pro eisdem reservent“ et in eodem: „In dubiis autem sacerdotes semper consulant nos vel vices nostras in spiritualibus gerentem . . .“, persuasum tibi forsitan erit nominatum „vices episcopi in spiritualibus gerentem“ fuisse vicarium episcopi generalem praeter eius officialem, qui in eadem synodo saepius [1]) nominatur, constitutum. At illum non fuisse vicarium generalem hodierno sensu, sed potius vicarium in foro poenitentiae seu sic dictum poenitentiarium aliqua ex parte iam ex eo poteris cognoscere, quod sacerdotes nomina parochianorum semel in anno non confitentium non ad illum vices in spiritualibus gerentem, sed ad episcopum vel eius officialem referre eodem c. 8. tenebantur, evidenter autem, si in synodi Coloniensis anni 1300. c. 20. uncis inclusa legeris verba „nisi nobis (episcopo) vel Poenitentiario nostro revelent intra octo dies, postquam talia intellexerint“ [2]). Ceterum haud prorsus et id silentio est praetereundum, quod archidiaconi, quibus ius commune [3]) nomen tribuerat vicariorum episcoporum in omnibus et quorum potestas ab episcopis quidem imminuta, non autem erat infracta, certe audacter intercessissent, si episcopi in iurisdictionis negotiis praeter suos officiales aut loco eorum sua sponte adiutores in iurisdictionis negotiis nomine vicariorum sibi adiunxissent. Quibus dictis si in terrarum illarum dioecesibus iam propter archidiaconos ante annum 1294. generaliter non viguisse vicarios episcoporum iterum affirmavi, non sum simul negaturus omnibus iam multo ante dictum annum fuisse persuasum officialem [4]) episcopi in citramontanis dioecesibus uno eodemque fungi munere ac vicarium generalem episcopi in ultramontanis.

---

[1]) Ibidem in c. 6. et 10. p. 828., 829 et 830.

[2]) Harduin. VII. p. 1222., quo loco non solum malefactores eorumque fautores, sed et omnes, qui talia praemissa sciverunt vel conscii fuerunt, publice declarantur excommunicati „(nisi nobis vel Poenitentiario . . .)“.

[3]) C. 1. X. de offic. Archidiaconi. 1. 23. (Ex libro Romani ordinis).

[4]) „Nec potest negari, quin isti officiales sint Vicarii, quamvis diverso vocabulo nominentur, quia satis est, quod gerant vices et operam Vicariam praebeant, cuius effectus attendi debet, etiamsi cum illo pugnet nomen.“ Sbrozzius, Tractatus de officio et potestate Vicarii Episcopi. Venetiis 1630., Lib. I. Quaest. 2. n. 24.

2. Persuasionem illam omnium sub iuris communis vincula coniecit illud libri VI. decretalium Bonifacii VIII. capitulum [1]) incipiens verbis: „Quum in generali.“ Verba in fine illius capituli ad nos spectantia haec sunt: „Officialis aut vicarius generalis episcopi beneficia conferre non possunt, nisi beneficiorum collatio ipsis specialiter sit commissa.“ Dictum locum propter coniunctionem „aut“, quae non aequalia, sed adversa coniungit, difficile est interpretari, cum propter illam disiunctivam coniunctionem officialis et vicarius generalis episcopi facile habeantur qua notiones diversae. München [2]) afferens Glossam ad v. „officialis“ (Clem. Etsi principalis. 2. de reser. [1. 2.]) annotantem: „Alibi dicitur vicarius“ simulque delegantem ad supra dictum locum: „Officialis aut vicarius generalis episcopi“, substernere conatur coniunctioni illi „aut“ sensum coniunctionis „seu.“ Sententia autem mea citatus locus interpretandus est ita: „Officialis (ut adiutor episcopi in iurisdictionis negotiis hic [3]) dicitur) aut vicarius generalis episcopi (ut alibi dicitur) beneficia confere non possunt“, e qua interpretatione illud „aut“ nominis tantum velle quoddam significare discrimen facile possumus cognoscere, cum notio officialis haud quaquam contraria habeatur ei vicarii generalis episcopi. Potius illa Bonifacii VIII. decretalis, quae in libro VI. C. I. Canonici praeterea sub titulo „De officio vicarii“ affertur, ergo et ius commune iurisdictionem officialis episcopi cum ea vicarii generalis generaliter coincidere edicit. Inde sequitur, quod nomina officialis et vicarii generalis episcopi unum et idem generaliter significantia officium adiutoris episcopi in iurisdictionis negotiis sunt synonyma quodque iure communi adiutori isti nomen officialis seu vicarii generalis tribui potest. Illam propterea decretalem, quae archidiaconis titulum vicariorum episcoporum ipsis iure communi tributum ademit eumque

---

[1]) C. 3. in VI. de offic. Vicarii. 1. 13. (Bonifacius VIII.).

[2]) Das canonische Gerichtsverfahren und Strafrecht. Köln 1865. I. Bd. pag. 22.: „sie (die Glosse) fasst also das Bindewort aut nicht als Verschiedenartiges entgegensetzend, sondern als Gleiches neben einander stellend und erklärend auf.“ — Cfr. Reiffenstuel, l. c., Tom. I. Lib. 1. Decr. Tit. 28. §. 3. n. 63.: „Aut quandoque accipitur expositive seu pro: id est.“ At casu hoc posito, cur dein numerus pluralis in praedicato?

[3]) Cfr. et c. 2. in VI. de offic. Vicarii. 1. 13., ubi ab eodem Bonifacio VIII. solus enumeratur officialis episcopi.

officialibus episcoporum competere sanxit, episcopis Angliae, Germaniae, Franciae et Hispaniae dioecesum certe fuisse commodam optatamque occasionem iure communi adiuvante archidiaconis sua sponte electos opponendi vicarios facile est intellectu. Et hanc causam, ob quam vicarius generalis citra montes tam celeriter in locum officialis episcopi est suffectus, silentio non possum praeterire. Licet nempe officialis et vicarius generalis de iure communi essent unum et idem, tamen officialis iam sua origine praeprimis iurisdictionem exercebat contentiosam[1]). In vicario vero generali talis notio adiuncta non inveniebatur, cum sine discrimine in omnibus episcopi vices suppleret. Qua re motus hic vel ille episcopus, praesertim si „in remotis agens" a sua dioecesi abesset, totam administrationem regimenque dioecesis non uti antea suo officiali, sed magis mandare consuevit vicario generali, qui „vicarius generalis episcopi in remotis agentis" in conciliorum actis haud raro memoratur[2]). Quas ob causas apparet in aliquibus illarum terrarum dioecesibus, in quibus ante annum 1294. unus episcopi adiutor in iurisdictionis negotiis semper officialis vocatur episcopi, post illum annum vicarius generalis episcopi aut loco officialis aut praeter eum aut adhibentur promiscue. Exempla nonnulla sequantur. Canon 7. concilii Nugaroliensis[3]) anni 1303. archiepiscopum Auscitanensem suosque suffraganeos adhuc habuisse suos officiales enarrat, cum postea in praefatione concilii Nugaroliensis[4]) anni 1315. iam vicarius generalis numeretur episcopi. In alio Hispaniae concilio eoque Palentinensi[5]) anni 1322. soli adhuc memorantur vicarii. Et

[1]) Fournier, l. c., p. 22.: „c'est (la juridiction contentieuse) en effet le point essentiel des fonctions de l'official."

[2]) V. g. in praefatione concilii Nugaroliensis anni 1315., Harduin. VII. p. 1394. — Cfr. Fournier, l. c., p. 24.: „Au treizième siècle et au quatorzième siècle, les expressions vicarius et officialis sont souvent synonymes, et se confondent dans les textes. Toutefois, à la fin du treizième siècle, on voit s'introduire une distinction entre l'official et le vicaire général; cette dernière expression paraît réservée aux représentants de l'évêque absent. Plus tard, les vicaires généraux et les officiaux seront les uns et les autres des représentants de l'évêque présent.

[3]) Harduin. VII. p. 1261.

[4]) Harduin. VII. p. 1394.

[5]) Harduin. VII. p. 1466. c. 7.: „a publicatione constitutionis et monitione huiusmodi in suis ecclesiis per archiepiscopos et episcopos vel eorum vicarios in synodis faciendis." Cfr. ibidem c. 19. de simonia. p. 1476.

licet in concilio Avenionensi[1]) anni 1279. nonnisi officiales inveniantur, apparent in praefatione concilii Avenionensis[2]) anni 1326. iam duo in spiritualibus et temporalibus vicarii generales et in eiusdem concilii c. 11. et 40., ad quae infra revertar, vicarii et officiales nominantur. Officialem et vicarium episcopi promiscue adhiberi patet e concilii Salmanticensis[3]) anni 1335. decreto 1. „de officio vicarii", quo episcopi et alii iurisdictionem aliquam exercentes, „cum ipsi fuerint absentes vel praesentes et sua iurisdictione uti non valuerint", vicarios seu aliquos officiales, „qui vices eorum possint in omnibus exercere, de gremio ecclesiae cathedralis sibi eligant", admonentur. Quo factum est, ut in plurimis citramontanis dioecesibus vicarius generalis mox officialem submoverit. Vice versa in c. 2. et 17. concilii Ravennatis[4]) anni 1314. unicus et idem episcopi adiutor et vicarius vocatur et officialis episcopi, licet nomen officialis ultra montes non ita increbruerit sicut id vicarii generalis citra montes. Item promiscue utrumque adhibet nomen concilii Nimociensis iam anno 1298. celebrati constitutio 14. De officio iudicis[5]). Imo et archidiaconorum adiutores, qui c. 8. concilii apud Salmurum[6]) anni 1253. adhuc officiales, in concilii Salmuriensis[7]) anni 1315. vero vicarii eorum nominantur.

3. In aliquibus[8]) dioecesibus, in quibus ante annum 1294.

---

[1]) Harduin. VII. p. 772. et sequ. in c. 1., 3., 4., 6. et 7.

[2]) Harduin. VII. p. 1493. et 1498.

[3]) Harduin. VII. p. 1966. — Cfr. ibidem in eodem decreto: „Ceterum quia nonnulli vicarii seu officiales in petenda et exigenda cancellaria rationis metas excedere non verentur . . ." — Cfr. c. 5. concil. Bitterensis anni 1351.: „ex tunc nos ordinarii praedicti, vicarii, seu officiales nostri". Harduin. VII. p. 1692.

[4]) Harduin. VII. p. 1382. et 1390.

[5]) Harduin. VII. p. 1737.: „et aliquando petitur ab episcopo seu eius vicario, vel officiali, ut puta, in absolutionibus et administrationibus sacramentorum, et dispensationibus et ceteris consimilibus, quod ipse ex officio suo faciat, quod aestimet ipse de iure fieri non debere."

[6]) Harduin. VII. p. 443.

[7]) Harduin. VII. p. 1394.: „Cum didicerimus, quod nonnulli archidiaconi et eorum vicarii summas immoderatas pecuniae a clericis ad beneficia promovendis damnabiliter exigunt . . ."

[8]) Van Espen, l. c., Part. I. Tit. 12. c. 4. n. 2. et 3.: „Moribus Belgii vicinarumque Ecclesiarum Officialis a Vicario Episcopi simpliciter dicto omnino diversus est. Officialis enim dicitur, qui iurisdictioni contentiosae praeest . . ."

nonnisi officialem invenimus episcopi, post illum annum praeter officialem [1]) apparere supra dixi et vicarium generalem episcopi sequentem ob causam. Officiales episcoporum substituebantur historia eorum primaeva testante in locum archidiaconorum, penes quos ante erat ut plurimum iurisdictio contentiosa [2]), quae significatio ceterum saeculis XII. et XIII. erat ignota. Hanc praecipue iurisdictionem archidiaconis ademptam episcopi suis mandabant officialibus. Ius commune [3]) approbavit illud novum officialium episcoporum institutum officialibus addicens potestatem generalem, licet ipsi praecipue de causis ad forum episcoporum pertinentibus cognoscerent. Quae causae consistorii seu curiae episcopalis regimini officialis commissae [4]), ad quam pro habenda recurrebatur iustitia [5]), erant multiplices generisque diversi. Sequens lege exemplum. Curiae Cantuariensis officialis, licet qua adiutore uteretur suo „commissario generali", decano de Arcubus, tamen a synodo Cantuariensi anni 1295. erat admonendus, ut iustas petitiones receptas cito rescriberet et citius, ubi in mora periculum vidisset imminere, videlicet: „in testamentariis, matrimonialibus, alimentorum et beneficiorum causis et negotiis, ubi de violenta intrusione seu spoliatione aut declaratione vacationis ecclesiae seu de providendo ecclesiae vacanti" suggerebatur [6]). Non ergo est mirum officialem episcopi iam solis forensibus supra modum occupatum in amplis dioecesibus multis aliis iurisdictionis episcopalis negotiis sufficere non potuisse. Hoc adversus malum erat remedio citatum libri VI. decretal. capitulum „Quum in generali", quo iurisdictio officialis et vicarii generalis ipsa declarata est una eademque. Obiectum [7]) vero iurisdictionis utriusque praecedenti eiusdem libri decretal. capitulo [8]) „Licet in officialem" episcopi officiali imprimis causarum cognitionem addicente necessario positum non est unum idemque.

[1]) Schneider, l. c., p. 173. e contrario licet iniuria affirmat praeter vicarium generalem pro causis cognoscendis constitutum esse officialem.

[2]) Thomassinus, l. c., Part. I. Lib. 2. c. 9. n. 1.

[3]) C. 3. in VI. de appellat. 2. 15. (Innocentius IV. in concilio Lugdunensi) et c. 2. in VI. de offic. Vicarii. 1. 13. (Bonifacius VIII.).

[4]) In fine synodi Dunelmensis anni 1276., Harduin. VII. p. 736.

[5]) In praefatione synodi Cantuariensis anni 1295., Harduin. VII. p. 1181.

[6]) Eiusdem synodi c. 1. et 4., Harduin. VII. p. 1182. et 1183.

[7]) Laemmer, l. c., I. Thl. I. Abthl. §. 69. n. 1.

[8]) C. 2. in VI. de offic. Vicarii. 1. 13. (Bonifacius VIII.).

Et propterea hic vel ille amplioris dioecesis episcopus praeter suum officialem generaliter forensibus seu sic dicta iurisdictione temporali seu temporalibus occupatum etiam pro sic dictis spiritualibus generaliter obeundis constituebat vicarium in spiritualibus generalem cum essentialibus proprietatibus officiali seu vicario generali de iure communi competentibus. Talem obiecti iurisdictionis divisionem officialem inter et vicarium generalem ponere videtur libri VI. decretal. capitulum [2]) „Quum nullus“, quod decernit facultatem literas dimissorias concedendi non officiali episcopi, „quum ad hoc se ipsius officium non extendat“, sed vicario episcopi in spiritualibus generali competere idque tantum episcopo in remotis agente. Imo et Glossa ad Clem. 2. de rescr. 1. 2. habet notitiam vicarii in spiritualibus, „qui alias officialis non est“ [3]). In fontibus mihi praesentibus demum concilii Avenionensis [4]) anni 1326. c. 40. hanc iurisdictionis divisionem ponere videtur. At certum tale exemplum inveni in infra sequenti officialis sive vicarii generalis Olomucensis historia. Ioannes nempe, episcopus Olomucensis (1334.—1351.), simul habebat et officialem suum [5]), magistrum Heinricum, et suum vicarium in spiritualibus et temporalibus generalem [6]), Petrum, decanum ecclesiae Wissegradensis. Supra cum dictis conveniunt et verba Benedicti P. XIV. [7]) „usum“ memorantis, „qui in aliquibus regionibus ultra montes obtinuit, ut Vicarius generalis ab Officiali distinguatur, et Vicarius nuncupetur, qui ea exercet, quae sunt iurisdictionis voluntariae; Officialis vero, qui iurisdictioni praeest contentiosae“.

4. Usu aliquarum dioecesum ampliorum supra citato excepto

[1]) Codex diplomaticus et epistolaris Moraviae. Olomucii 1841. Tom. III. pag. 97. dipl. CXXIX. Wencezlaus, Bohemorum rex, anno 1248. episcopatui Olomucensi confert „ius patronatus et omnem iurisdictionem temporalem“, quam habebat in monasterio et villa de Raygrad, ita, quod nulli supanorum vel aliis liceret ibi aliquid contra iustitiam agere absque regis speciali licentia. — Cfr. Sbrozzius, l. c., Lib. I. Quaest. 11.: „Huiusmodi (temporalitatis enim) administratio quandoque ad iudicialia pertinet, quandoque extraiudicialia.“

[2]) C. 3. in VI. de temporibus ord. 1. 9. (Bonifacius VIII.).

[3]) Glossa ad Clem. Etsi principalis. 2. de rescr. 1. 2. v. officialis.

[4]) Harduin. VII. p. 1508.

[5]) Cod. dipl. et epist. Moraviae. 7. Bd. Brünn 1858. p. 184. dipl. 253.

[6]) Ibidem p. 205. dipl. 284.

[7]) Benedictus XIV., l. c., III. 3. 2.

in ceteris etiam post annum 1294. „unus et idem Episcopi vices, in utriusque iurisdictionis exercitio“[1]) gerebat, seu officialis nominabatur seu vicarius generalis. Cum autem illa Bonifacii VIII. decretali „Quum in generali“ in iis dioecesibus citra montes, ubi et postea unus adiutor omnia episcopalis iurisdictionis negotia adhuc obibat, nomen pervulgatum officialis seu officialis principalis[2]) eo vicarii generalis supra dictas ob causas submoveretur, e contra nomen vicarii in spiritualibus et temporalibus generalis[3]) (ut hic vicarius non solum in spiritualibus, sed et in forensibus seu temporalibus indicetur esse generalis, licet haec significatio de iure communi sit superflua) seu vicarii in spiritualibus generalis[4]) (cum post saec. XIII. vox „temporalium“ notione adhiberetur angustiori bonorum episcopi temporalium seu eius mensae, cuius administrator seu „vicarius in temporalibus“ rectius „oeconomus“ appellabatur) seu simpliciter vicarii generalis[5]) in dioecesibus omnibus, ubi v. g. in Italia iam ante illam decretalem fuerat in usu, et postea nulla ad immutationem causa cogente qua notioni aptius retinebatur. Propterea et in concilii Trid. c. v. g. 1., 2., 3. et 4. sess. 13. de ref. plerumque adhibetur nomen vicarii generalis, licet eiusdem concilii capite 12. sess. 24. de ref. vicarius generalis et officialis declarentur unum et idem[6]). Et ita de iure communi res se habet etiam nostris diebus. Cui non repugnat, quod „ex usu et consuetudine tam Datariae quam Cancellariae Apostolicae literae

[1]) L. c., III. 3. 2.

[2]) Cfr. §. 2. n. 5. h. capitis; ceterum tantum diversitas significationis officialis, quae dimittenda est diversitatibus locorum. Cfr. infra in h. c. §. 5. B. significationem „Vicarius officialis“.

[3]) Cfr. sequ. §. 5. n. 4.

[4]) Concil. Trid. c. 1., 2., 3. et 4. sess. 13. de ref.

[5]) Schmalzgrueber, Ius Ecclesiasticum Universum, Neapoli 1738., Tom. I. Part. IV. Tit. 28. §. 2. n. 14. de Vicariis Iurisdictionis Episcopi datis, qui eandem cum episcopo constituente iurisdictionem habent, haec dicit: „Hi tripliciter constituti sunt. 1. In temporalibus tantum: et ita constitutus rectius appellatur Oeconomus. 2. in spiritualibus tantum et tunc vocatur Vicarius generalis cum addito in spiritualibus, in litteris autem ultra montes directis Officialis Episcopi. 3. in spiritualibus simul et temporalibus: et tunc dici solet simpliciter Vicarius generalis.“

[6]) Provisi etiam de beneficiis quibuscumque curam animarum habentibus teneantur . . . in manibus ipsius episcopi vel eo impedito coram generali eius vicario seu officiali, orthodoxae suae fidei publicam facere professionem.“

Sedis Apostolicae (quae semper committuntur Vicariis Episcoporum . .) si ad regiones ultramontanas (puta Hispaniam, Galliam, Germaniam, Angliam, Poloniam, Africam) dirigantur, semper inscribuntur Officiali"[1]) v. g. Dilecto filio Officiali Olomucensi[2]). „Literae vero destinatae ad regiones Cismontanas v. g. ad Italiam, Ungariam, Dalmatiam, Albaniam, Sclavoniam, Cyprum, Cretam et partes Orientales, item Siciliam, Corsicam et Sardiniam inscribuntur Vicario generali"[3]).

5. His de officialis sive vicarii generalis episcopi historia dictis breviter est adiungendum, quod uterque iam Bonifacio VIII. in sede apostolica sedente censebatur esse in dignitate[4]) quodque hoc administrationi totius dioecesis tam utile institutum etiam iure communi supra citatis locis et praecipue concilio Trid. firmiter fulciretur, cum archidiaconorum auctoritas evanesceret eorumque competentia ipso iure communi[5]) et praecipue citato concilio prorsus restringeretur. Nam concilii illius sess. 24. de ref. caput 20. iis causas matrimoniales et criminales subtraxit et c. 3. ipsis „in iis ecclesiis, ubi hactenus visitationem exercere legitime consueverant", assumpto notario de consensu episcopi deinceps per se ipsos tantum ibidem visitare concessit. In eorum locum vicarii seu officiales foranei[6]) seu archipresbyteri seu decani rurales[7]) qua certarum regiuncularum speculatores in plurimis[8]) dioecesibus sunt substituti, ita ut „hac aetate in

[1]) Leurenius, l. c., C. I. Quaest. 17. n. 2.

[2]) Archipresbytero Katscheriensi, Ioanni Staniek, qui Rev. Archiepiscopale consuluerat Consistorium Olomucense, utrum ad se spectaret executio Brevium Apostolicorum, responsum est ita: „Supplicanti . . hisce insinuatur: sub nomine Officialis, ad quem Brevia Apostolica expedita sunt, nequaquam Eundem, sed ex Stilo et Praxi Curiae Romanae Officialem Ordinarii adeoque infra subscriptum Vicarium Generalem subintelligi, ad quem proinde qua talem Executio dispensationis S. Datariae spectat . . ." Decretum Olomucii in Curia Archiepisc. die 22da Nov. 1804. Diploma archivi Commissariatus Katscheriensis.

[3]) Leurenius, l. supra c. .

[4]) C. 11. in VI. de rescriptis. 1. 3. (Bonifacius VIII.) et saepe cit. Clem. 2. I. 2.

[5]) C. 7. in VI. de offic. ordinarii. 1. 16. (Bonifacius VIII.). In quolibet dioecesis loco non exempto per se et per alium potest episcopus pro tribunali sedere et libere exequi, quae ad ipsius spectant officium.

[6]) Clem. 2. de rescr. 1. 2. (Clemens V. in concilio Viennensi).

[7]) Synodi Augustensis anni 1548. tit. 7., Harduin. IX. p. 2034.

[8]) In ceteris „vicarii foranei" licet non ob supra dictam causam. — Cfr. concil. Mediolanensis I. anni 1565. part. 2. constit. 29., Harduin. X. p. 672.

ecclesiis aliis nullos, in aliis sola honoris praerogativa, in aliis potestate quidem, sed ad Episcopi arbitrium admodum restricta praeditos reperire liceat Archidiaconos" [1]). Iurisdictione horum sublata eo magis crescebant officialis sive vicarii generalis negotia. Quae ut diligentius et festinantius expedirentur, iam saec. XIII. in amplioribus vigebat dioecesibus institutum „consistorii" [2]) seu „iudicialis tribunalis, ubi causae communiter audiuntur" [3]), cui praeerat officialis sive vicarius generalis. Saec. vero XIV. apparet in iis dioecesibus, ubi praeter officialem etiam vicarius generalis erat constitutus, praeter „officialatum" etiam „vicariatus" [4]), quibus recentiori tempore accessit „ordinariatus". Cum autem haec quatuor instituta hac aetate in singulis dioecesibus nec omnia simul existant nec iisdem gaudeant nominibus nec iuribus, in una [5]) tantum dioecesi eaque Olomucensi eorum exemplum afferam infra in paragrapho sequenti.

§. 5.

De officialis sive vicarii generalis episcopi historia primaeva et extrema in archidioecesi Olomucensi.

A. De historia primaeva [6]).

1. Vratislao, Bohemorum duce, anno 1063 [7]) conditus est episcopatus Olomucensis, cuius praesul primus [8]) nominabatur

[1]) Schenkl, Institutiones I. Ecclesiastici Communis, ed. a Iosefo Scheill, Part I. Landishuti 1830., p. 457. — Cfr. verba de instituto archiepiscoporum citata apud Laemmer, Institutionen .., ed. II. I. Thl. I. Abthl. §. 56. num. l. c. 3.

[2]) V. g. consistorium Cantuariense constabat ex episcopi officiali, commissario eius generali, 2 examinatoribus, pluribus clericis ad registrum et faciendas copias, 16 advocatis et 10 procuratoribus. Cfr. c. 1., 2. et 8. synodi Cantuariensis anni 1295., Harduin. VII. p. 1182. et 1184.

[3]) Benedicti P. XI. Epistolae et quidem tertia anni 1339. statutum 32. De criminalibus causis canonicorum, ubi agitentur. Harduin. VII. p. 1599.

[4]) Cfr. sequ. §. 5.

[5]) De dioecesi Vratislaviensi legas „Laemmer, Institutionen, II. ed. I. Thl. I. Abthl. §. 69. p. 268., de ceteris „Schneider, Die Bischöflichen Domkapitel, p. 385. et sequ.

[6]) Elaborata iuxta diplomata ad hanc materiam spectantia, quae continet „Codex Diplomaticus et Epistolaris Moraviae" auctoribus Antonio Boczek (Tom. I.—V.) et P. equite de Chlumecky (Bd. VI. et VII.). Codicem hunc citabo verbo „Cod."

[7]) Cod. Tom. I. Olomucii 1836. pag. 139. dipl. CLX.

[8]) Cod. I. p. 139. dipl. CLXI.

Ioannes (1063.—1086.[1])). Successorum eius in episcopatu non possum, quin memorem laude dignum Henricum cognomine Zdyko (1126.[2])—1151.[3])). Hic erat, qui anno 1131. in cathedra episcopali ab angusta SS. Petri et Pauli ecclesia ad eam S. Venceslai Regis et Martyris translata[4]) duodecim instituit canonicos[5]). Cum autem illo tempore in aliarum[6]) dioecesum capitulis iam inveniatur et archidiaconus, probabiliter cum illo et hoc institutum ascivit in suam provinciam praesul ille gloriosus. At demum anno 1196. qua testis primum commemoratur in ecclesia Olomucensi „Bosco archidiaconus“[7]). Hic Bosco illo tempore totius Olomucensis episcopatus unicus fuisse videtur archidiaconus, cum simpliciter archidiaconus nominetur. Propter amplitudinem autem dioecesis unicus non poterat multis officii sui negotiis sufficere. Provincia initio unica[8]) temporis decursu in plures dividebatur singulisque provinciis, quibus nomen maximi in ea siti oppidi erat, singuli praeficiebantur archidiaconi. Sic in diplomatibus qua testes inveniuntur anno 1203. „Esau, archidiaconus Prorouensis et canonicus Olomucensis“[9]), anno 1206. „Waltherus decanus et Znohemensis archidiaconus, Radoslaus Olomucensis, Moyses Brachislauensis“[10]), praeter quos adhuc mentio fit anno 1231. archidiaconi Brunensis[11]), anno 1255. Haidolfi, archidiaconi Opaviensis[12]) nec non anno 1263. Arnoldi, Cremeserensis, prepositi et archidiaconi[13]). Quid de praedictis narrant diplomata? Sicut in ceteris maioribus dioecesibus citramontanis saec. XII. et XIII., ita et in Olomucensi illi erant adiutores et vicarii episcopi in regimine et dioecesis administratione, in capitulo cathedrali plerumque erant canonici[14]) et praeerant

[1]) Cod. I. p. 172. dipl. CXCII.
[2]) Cod. I. p. 199. dipl. CCXXIII. et CCXXIV.
[3]) Cod. I. p. 263. dipl. CCLXXXIII. et CCLXXXVI.
[4]) Cod. I. p. 204. dipl. CCXXXI.
[5]) Cod. I. p. 208. dipl. CCXXXIII.
[6]) Cod. I. p. 223. dipl. CCXLVI. Archidiaconus in capitulo Pragensi.
[7]) Cod. I. p. 342. dipl. CCCLXV.
[8]) Cod. I. p. 204. dipl. CCXXXI.
[9]) Cod. Tom. II. Olomucii 1839. p. 14. dipl. XI.
[10]) Cod. II. p. 36. dipl. XXIX.
[11]) Cod. II. p. 233. dipl. CCXIII.
[12]) Cod. Tom. III. Olomucii 1841. p. 195. dipl. CCXX.
[13]) Cod. III. p. 349. dipl. CCCLIII.
[14]) Cod. II. p. 115. dipl. CVII.

suis archidiaconatibus, in quibus quasi in minusculis episcopatibus ius suum exercebant archidiaconale non minus aestimatum ac episcopale [1]). Utebantur propriis sigillis [2]) et praecipue contentiosam exercebant iurisdictionem lites suorum archidiaconatuum decidentes [3]).

2. Si respexeris autem, quod archidiaconi propriis praesidebant tribunalibus, a quorum prima instantia ad dioecesanum erat appellandum, et quod remotis appellationibus modo dictis non pauci statim ad episcopum ipsum causas suas deferebant decidendas, huius speciei iam negotia tempus et laborem dioecesani etiamnum nimis petiisse eumque proin solum omnibus dioecesis negotiis sufficere non potuisse confiteberis, praesertim cum negotia, quo melius et diligentius administrabatur dioecesis, eo magis multiplicarentur. Bona valde et diligens testante historia dicenda est administratio Olomucensis dioecesis Brunone (1245.[4])—1281.[5])), praesule rerum gestarum gloria insigni. Non solum rerum spiritualium peritissimus, sed et in negotiis saecularibus versatissimus florebat pontifex ille gratia et auctoritate Bohemiae regum Venceslai [6]) et praecipue Přemisl Otachari, cuius consiliarius erat et adiutor in gravissimis negotiis publicis [7]). „Multis proin et arduis negotiis occupatus“ [8]) episcopus Bruno si imitans episcopos aliarum dioecesum citramontanarum sibi cooptavit adiutorem, qui eidem ac ipse praeesset consistorio et praecipue negotia forensia aut tantum ea cognoscens aut etiam decidens expediret, non est mirum. Praeter episcopos ipsi principes [9]) et maioris minorisve territorii

[1]) Cod. II. p. 233. dipl. CCXIII. Confirmans ius patronatus cuiusdam ecclesiae Robertus, episcopus Olomucensis, anno 1231. utitur inter cetera verbis: „salva ubique auctoritate dioecesani episcopi et archidiaconi, ita ut eorum iuri in nullo detrahatur“. Cfr. Cod. III. dipl. CII.

[2]) Cod. II. p. 115. dipl. CVII.

[3]) Cod. III. p. 27. dipl. XLI.

[4]) Cod. III. p. 56. dipl. LXXII.

[5]) Cod. Tom. IV. Olomucii 1845. p. 245. dipl. CLXXXI.

[6]) Cod. III. p. 95. dipl. CXXVIII.

[7]) Cod. III. p. 181. dipl. CCVI. Bruno pacis inter Otakarum Boemiae et Belam Ungariae reges factae anno 1254. arbiter adhibetur.

[8]) Cod. IV. p. 11. dipl. X.

[9]) Cod. II. p. 290. dipl. CCLX. Memorantur anno 1235. officiales regis Venceslai.

praefecti[1]) saeculares illis temporibus habebant ad iustitiam praecipue exercendam suos adiutores, officiales nempe. Propterea et episcopus Bruno adiutori suo nomen dedit officialis, cuius anno 1267. prima fit mentio in litis contestatione inter abbates de Wilimow et de Welehrad in causa cuiusdam solutionis annuae[2]). Eundem officialem episcopi Brunonis, magistrum Heydenricum nomine, causam inter monasterium Lucense et Gezdontium presbyterum, quondam rectorem ecclesiae de Primetiz, duobus accusatum criminibus plene audivisse et in eadem causa processisse usque ad diffinitivam sententiam, eam autem, cum ageretur de amotione illius presbyteri ab ecclesia in Primetiz, episcopo suo reservasse diploma anni 1268. enarrat[3]). Aliud anni 1269. diploma[4]) demonstrat auditorium episcopi et officialis eius fuisse unum idemque. Per magistrum enim H(eydenricum), officialem episcopi Brunonis, sententia interlocutoria lata erat contra abbatem et conventum de Sar in causa, quae vertebatur inter eos et fratres Templarios de Schekwiz super decima villae Mychelsdorf. Praedicti abbas et conventus suae appellationi ad Maguntinum archiepiscopum interpositae volebant renuntiare, si episcopus Bruno supplicatione ipsorum admissa sententiam sui officialis interlocutoriam retractaret. Cui supplicationi annuit episcopus ille et supplicationis causam praeposito Olomucensi ac archidiacono Brunnensi terminandam commisit. Tria tantum diplomata haec memorant officialem Brunonis eumque primum in Curia Olomucensi ni fallor iam eam ob causam, quod ille officialis auctoritate archidiaconorum in Olomucensi dioecesi adhuc crescente secundas fere partes egisse videtur. Porro non possum praeterire silentio, quod in fine diplomatis[5]) anni 1269. inveniuntur testes: „Henricus plebanus de Mognich. Ioannes, uicarius domini Episcopi. Hugo, uicarius S. Mauritii". Citatus Ioannes minime erat vicarius generalis episcopi praeter officialem Heydenricum constitutus, sed potius vicarius quidam dignitate et

---

[1]) Cod. IV. p. 186. dipl. CXXXV. Qua testis anno 1276. citatur: „Martynus officialis domini burcrauii."

[2]) Cod. III. p. 392. dipl. CCCLXXXIX.

[3]) Cod. IV. p. 11. dipl. X.

[4]) Cod. IV. p. 30. dipl. XXV.

[5]) Cod. IV. p. 32. dipl. XXVII. Bruno episcopus in quadam causa fert arbitrium de iure parochiae et decimis in Michelsdorf.

potestate inferior a Brunone episcopo constitutus, ut in parochiis ei iuris episcopalis parti, quam aut ius archidiaconale non continebat aut archidiaconi negligebant, vice domini episcopi consuleret[1]); ut praeterea taceam id, quod ille Ioannes qua testis post plebanum citatum profertur. Et quod ad Henricum Varmiensis ecclesiae episcopum attinet, qui in diplomate[2]) anni 1281. vices gerens Brunonis episcopi Olomucensis citatur, dicendum est illum vicem gessisse senio confecti episcopi Brunonis in solis pontificalibus, in consecratione nempe duarum ecclesiarum filiarum, quas licet consecratas sicut antea[3]) ita et postea ad suam matrem pertinere declarat, ut ratione suae consecrationis filiarum nullum ecclesiae matri generetur praeiudicium.

3. Mortuo Brunone in episcopatu successit Theodoricus (1281.[4])—1302.[5])), cuius officialis vestigium in diplomatibus invenis nullum, ita ut minus praecessore suo occupatus adiutore personali non indiguisse videatur. Negotia forensia aut ipse[6]) aut per archidiaconos[7]) aut per alios[8]) expediebat delegatos. Ceterum fere omnes causae, quae ad episcopum hunc erant delatae, non cum strepitu agebantur forensi, sed, cum ipsi persuasum esset „causas materiam criminibus creare solere, et servos dei non convenire littigare, per amicabilem composicionem et concordiam“ [9]) terminabantur. Propterea et ipsum certe habuisse in iudiciali foro adiutorem eo minus licet affirmare, etsi institutum officialium illo tempore erat pervulgatum et iam aliquis

---

[1]) Fournier, l. c., p. 24. n. 1.: „Le vicarius episcopi reçoit les droits épiscopaux que les archidiacres ont négligé de percevoir dans les paroisses pour les rendre à l'évêque.“ Manuale Henrici Sisteron. episc., LVII. Martène, Thesaur., IV. 1090.

[2]) Cod. IV. p. 253. dipl. CLXXXVIII.

[3]) Cod. IV. p. 228. dipl. CLXVI. Bruno episcopus anno 1279. illas ecclesias filias matri esse annexas et ab ipsa non posse aliqualiter separari declaraverat.

[4]) Cod. IV. p. 245. dipl. CLXXXI.

[5]) Cod. Tom. V. Brunae 1850., p. 143. dipl. CXXXVII.

[6]) Cod. IV. p. 302. dipl. CCXXXI. „Nos Theodoricus partibus in nostra constitutis presencia . . .“

[7]) Cod. IV. p. 361. dipl. CCLXXXIV.: „per Znoymensem archidiaconum qui iudex erat in causa delegatus a nobis . .“

[8]) Cod. IV. p. 393. dipl. CCCX.: „per abbatem Saberdowicensem, iudicem delegatum“.

[9]) Cod. IV. p. 405. dipl. CCCXX.

abbas suos habebat ad exhibendam iustitiam officiales [1]). Et utrum Theodorici uterque successor, et episcopus Ioannes (1302.[2])—1311.[3])) et Petrus (1312.[4])—1316.[5])), officialem habuerit, fontes nostri non tradunt, hoc autem narrant, quod episcopatus Olomucensis temporalia tempore episcopi Petri deteriori erant loco [6]). Petri successor Conradus (1316.[7])—1326.[8])), episcopus laude dignissimus, episcopatui Olomucensi gloriam restituit antiquam. A Ioanne, Bohemiae rege, magni aestimatus [9]) Marchionatus Moraviae factus erat capitaneus [10]) et proin ad dioecesim suam administrandam indigebat officiali eo magis, cum auctoritas archidiaconorum eorum culpa decresceret. Licet strenue vicem dioecesani obirent in temporalibus suorum archidiaconatuum, ardor tamen haud raro desiderabatur in eis et zelus disciplinae ecclesiasticae in suis subditis clericis retinendae. Sic in statuto contra cohabitatores manifestos promulgato in synodo celebrata ab episcopo Petro Cremsirii erat et decretum: „Archidiaconi vos [11]) ipsos foventes, vel eorum excessus dissimulantes sint ab officio ipso facto suspensi" [12]). Statutum hoc episcopus Conradus renovavit in sua synodo Cremsirii anno 1318. celebrata, ubi et auctoritatem archidiaconorum restrinxit constitutione: „Item prohibemus sub pena excommunicacionis, ne aliquis causas, matrimonii iudicet nisi officialis vel archidyaconus per se et non per alium substitutum" [13]). Officialis semel

---

[1]) Cod. V. p. 100. dipl. XCVIII.

[2]) Cod. V. p. 148. dipl. CXLIV.

[3]) Cod. VI. Brünn 1854., p. 41. dipl. LIV.

[4]) Cod. VI. p. 43. dipl. LIX.

[5]) Cod. VI. p. 74. dipl. CVI.

[6]) Cod. VI. p. 45. dipl. LX. Verbis in sua petitione ad Clementem V. episcopus Petrus utitur his: „Episcopatus Olomucensis adeo in temporalibus est collapsus, quod vix adicere (?) poterit ut resurgat."

[7]) Cod. VI. p. 74. dipl. CVI.

[8]) Cod. VI. p. 242. dipl. CCCXIV. Testamentum Conradi episcopi.

[9]) Cod. VI. p. 98. dipl. CXXVIII.

[10]) Cod. VI. p. 107. dipl. CXXXV.

[11]) Fasseau Arsenii Theod. in sua Collectione Synodorum et Statutorum almae dioec. Olomuc., Rezii 1766., habet loco illo „vos" verbum „vero". pag. 2.

[12]) Hoc statutum citatur in synodo ab episcopo Conrado Cremsirii anno 1318. celebrata.

[13]) Cod. VI. p. 385. dipl. XXII.

tantum et quidem hic citati forum ergo adhuc Conrado episcopo praecipue erat iudiciale.

4. Conrado defuncto ecclesiae Olomucensi praeficitur Hinco (1327.[1])—1333.[2])), qui frequentes habens infirmitates in Moravia propter inconsuetum aërem manere timuit, ideo in Bohemia, ubi ante suam electionem erat praepositus Pragensis[3]), frequentius habitavit[4]). Propterea in suo Olomucensi episcopatu ad expedienda universa iurisdictionis negotia „Ioannem dictum Paduanum, canonicum Olomucensem" constituit „Curiae suae Officialem et in Spiritualibus vicarium generalem"[5]). Utrum vero „Enoch, Peteuensis episcopus, in Pontificalibus Vicarius generalis"[6]) ante electi Hinconis consecrationem constitutus et post eius consecrationem sit retentus, fontes nostri non indicant. Redibo ad Ioannem dictum Paduanum. Quam ob causam episcopus Hinco illum nominavit non officialem uti tempore praecedenti, sed officialem et in spiritualibus vicarium generalem? Eam ob causam, ut indicaret suum adiutorem unicum omnibus iurisdictionis negotiis esse praefectum, cum in aliquibus aliis[7]) dioecesibus negotia iurisdictionis contentiosae ab officiali, ea vero voluntariae a vicario in spiritualibus generali, ergo a duobus expedirentur adiutoribus. Proin ille Ioannes dictus Paduanus non solum voluntariam exercebat iurisdictionem v. g. instituens Nicolaum rectorem ecclesiae in Wolframitz[8]), sed idem et contentiosam v. g. decidens litem inter duas partes circa decimam minutam[9]). Nec duobus, sed uno tantum fungebatur officio eoque „officialatus", cum utrique diplomati de dictis duobus negotiis agentibus unum et idem sigillum „officialatus Ecclesiae Olomucensis", quo utebatur, appenderet.

5. Aliter res se habebat, Hincone mortuo cum episcopus Olomu-

---

1) Cod. VI. p. 260. dipl. CCCXXXI.
2) Cod. VI. p. 360. dipl. CDLXIX.
3) Cod. VI. p. 247. dipl. CCCXVIII.
4) Richter Franc. Xav.: Augustini Olomuc. Episcoporum Olomuc. Series. Olomucii 1831. p. 100. n. 75.
5) Cod. VI. p. 342. dipl. CDXLVI.
6) Cod. VI. p. 276. dipl. CCCLVIII.
7) Cfr. praecedentem §. 4., n. 3.
8) Cod. VI. p. 342. dipl. CDXLVI.
9) Cod. VI. p. 356. dipl. CDLXVI.

censis electus esset Ioannes cognomine Wolko (1334.[1])—1351.[2])), filius Venceslai, regis Bohemiae[3]). Huic electo Olomucensi episcopo Ioannes P. XXII. concessit, ut iam ante acceptionem litterarum provisionis usque ad sex menses ad ecclesiam Olomucensem posset accedere ac ipsius et bonorum eius spiritualium et temporalium per se suosque „Vicarios, officiales, procuratores et ministros administrationem suscipere ac gerere“[4]). Qua concessione utens Ioannes ille iurisdictionis negotiis divisis duos adiutores et vicarium generalem sibi adiunxit et officialem. Primus anno 1334. memoratur „Petrus decanus ecclesie Wyssegradensis, domini Iohannis electi Olomucensis Vicarius in spiritualibus et temporalibus Generalis“[5]). Hic Petrus non solum spiritualia, sed et temporalia seu forensia initio solus obivit negotia et proin diplomati anni 1334. sigillum „vicarii generalis Ecclesie Olomucensis“ appendi iussit[6]). At negotiis obrutus mox accepit a suo praesule socium, officialem nempe episcopi, magistrum Heinricum, qui iam anno 1339. memoratur[7]), licet vicarius praedictus et postea, cum accepisset in temporalibus seu forensibus socium, titulum „vicarii in spiritualibus et temporalibus Generalis“ retineret diplomate anni 1340. testante[8]). Vicario autem generali Petro successit „vicarius in spiritualibus generalis, Hermannus Prepositus S. Petri in Brunna“, qui suas muniri fecit litteras appensione sigilli „vicariatus ecclesie Olomucensis“[9]), cum „Henricus, canonicus et custos ecclesie, ac officialis curie Olomucensis“ uteretur sigillo „officialatus curie Olomucensis“[10]). Episcopus Ioannes ergo vicariatu ab officio officialatus separato utrumque officium distinctis commisit personis, ita ut officiali seu officialatui seu officio consistoriali generaliter iurisdictio contentiosa, vicario vero generali in spiritualibus seu

[1]) Cod. VII. Brünn 1858. p. 4. dipl. 6.
[2]) Richter, l. c. p. 101.
[3]) Ibidem.
[4]) Cod. VII. p. 4. dipl. 6.
[5]) Cod. VII. p. 17. dipl. 23.
[6]) Cod. VII. p. 17. dipl. 23.
[7]) Cod. VII. p. 183. dipl. 253.
[8]) Cod. VII. p. 205. dipl. 284.
[9]) Cod. VII. p. 383. dipl. 528.
[10]) Cod. VII. p. 212. dipl. 295.

vicariatui competeret voluntaria.[1]). Singillatim utriusque negotia non videntur esse enumerata, cum citatus Hermannus vicarius generalis diplomate anni 1343. testante exerceret et iurisdictionem contentiosam decidens causam super quadam bladi solutione[2]). Iurisdictio ipsa in utroque erat eadem eaque ordinaria[3]). Auctoritate et officialis et vicarii generalis episcopi, cum alicuius capituli dignitate vel canonicatu essent plerumque ornati, gaudebant magna, cum ea archidiaconorum restringeretur[4]) et paulatim una cum eorum officiis evanesceret[5]) eorumque perantiqua nonnisi gloria apud capitulum Olomucense cathedrale in archidiaconi dignitate[6]) pergeret vivere. Historiae huic primaevae finem imponens non possum, quin memorem et id, quod ea cum supra in §.§. 2. et 4. dictis convenit enarrans qua adiutorem episcopi in iurisdictionis negotiis et in dioecesi Olomucensi non vicarium generalem apparuisse primum, sed officialem, qui sive officialis appellabatur sive officialis et vicarius generalis in spiritualibus, tamen unico fungebatur officio, officialatu seu vicariatu, usque dum postea hoc officio unico quoad iurisdictionis negotia in duo diviso officialatus et in Spiritualibus vicariatus Generalis sunt constituti.

Diplomatibus autem de historia episcopatum Ioannis (1334. bis 1351.) subsequenti mihi deficientibus[7]), breviter referre extremam dumtaxat historiam et quidem formam figuramque vicariatus generalis seu officialatus mihi liceat.

---

[1]) Conferatur Pragmatica Episcopalis Constitutio Nissae Silesiorum anno 1699. a Francisco Ludovico Comite Palatino confecta apud Laemmer, Institutionen, p. 268. n. 5. ed. II.

[2]) Cod. VII. p. 383. dipl. 528.

[3]) Cod. VII. p. 17. dipl. 23.: „Nos Petrus vicarius generalis . . . instituimus rectorem . . . ipsam (? ipsum) auctoritate, qua fungimur ordinaria confirmantes . . .“ — Cfr. Cod. VII. p. 212. dipl. 295.: „Ego quoque Heinricus, canonicus et officialis . . ., auctoritate ordinaria precipio et iniungo.“

[4]) Statuta seu constiutiones Iohannis Episcopi eccl. Olomuc. anno 1349. De officio Archidiaconi. Cod VII. p. 692.

[5]) Cum synodi Olomuc. anni 1591. acta archidiaconis officium dumtaxat visitationis adhuc addicant, Caroli Episcopi Olomuc. monitorium pro decanis ruralibus etc. anno 1666. eos iam non memorat eorumque in locum decani rurales, qui et archipresbyteri appellantur, sunt suffecti. Fasseau, l. c., p. 115. c. 24. et p. 136.

[6]) Catalogus Venerabilis Cleri Archidioec. Olomuc. anno 1898.

[7]) In Archiepiscopali Cremsiriensi bibliotheca de supra tradita et de subsequenti historia nullum maioris momenti inveni diploma.

B. Historiae extremae brevis conspectus.

1. Decreta Consistorialia [1]), vulgo currendae nuncupata, testantur omnem episcopum resp. archiepiscopum [2]) Olomucensem a Volfgango Hannibale e Comitibus de Schrattenbach, S. R. E. Cardinale (1711—1738.[3])) usque ad Fridericum e Landgraviis de Fürstenberg, S. R. E. Cardinalem (1853.—1892.[4])) excepto Maria Thadaeo e Comitibus de Trautmannsdorff, S. R. E. Cardinale (1811.—1819.[5])), qui solo praeside consistorii [6]) utebatur, in iurisdictionis negotiis expediendis Vicarium in spiritualibus generalem et officialem sibi cooptasse. Cum vero tempore episcopi Ioannis (1334.—1351.) officialatum et vicariatum generalem duae obirent personae, omnis nominati temporis episcopus resp. archiepiscopus uni eidemque conferebat personae Vicariatum Generalem et officialatum eandemque pro iudice ordinario causarum suae dioecesis constituebat [7]). Propter hanc Vicariatus et Officialatus unionem personalem, et cum in archidioecesi Olomucensi Vicarius in spiritualibus generalis qua talis praeesset consistorio, qua officialis vero per dictum tempus nullius praefectus esset fori, et cum officium officialis ab eo vicarii generalis certis terminis non esset circumscriptum, factum est, ut is, qui pro vicario generali et pro praeside consistorii ab episcopo resp. archiepiscopo esset constitutus, eo ipso constitutus esset et pro officiali [8]). Vacante vicariatu generali eo ipso vacabat et officialatus, pro quo tempore [9]), et si Vicarius generalis abesset [10]), promovebatur sic dictus „Praeses Consistorii

---

[1]) Ab anno 1711. invenis collecta et in Archivo Commissariatus Katscheriensis reposita.

[2]) Anno 1777. fuit cathedralis ecclesia Olomucensis a Pio VI. ad metropoliticam dignitatem evecta. Richter, l. c., p. 269.

[3]) Catalogus Venerab. Cleri Archidioec. Olomuc. anno 1898. p. 18.

[4]) Ibidem p. 20.

[5]) Ibidem p. 19

[6]) Cfr. decreta illius pontificatus Consistorialia.

[7]) Decretum in Curia Episc. Olomuc. die 25. Maii 1750.

[8]) Decretum Olomuc. in Curia Archiepisc. die 29. Novembris 1819, et Additamentum ad illud decretum, quo communicantur in copia litterae patentes denominationis Vicarii et Officialis, Francisci C. de Migazzi. In archivo Commissariatus Katscheriensis.

[9]) Decret. Olomuc. in Curia Archiepisc. die 3. Iulii 1826.

[10]) Ordin. Consistor. 21. Nro 1257. ddto 18. Iunii 1822.

sive Praeses in Spiritualibus[1]) sive in Spiritualibus et Officialatu"[2]). Officialatus ergo consumebatur vicariatu generali, ita ut omnis nominatorum episcoporum resp. archiepiscoporum adiutor, sive uti plerumque appellabatur Vicarius generalis et officialis sive tantum vicarius generalis[3]), unico tantum fungebatur munere, cum et de iure communi iurisdictionis negotiis non divisis vicarius generalis seu officialis propter commissionem officii generaliter sibi factam[4]) omnibus totius dioecesis praesit negotiis expediendis.

2. Aliter res nec tunc se habebat, cum die 1. Decembris 1856. gloriosissimus archiepiscopus Fridericus pro exercenda sua iurisdictione ordinaria „in causis non modo matrimonialibus sed omnibus contentiosis et indaginem judicialem requirentibus ad iurisdictionem suam Episcopalem spectantibus Forum Archiepiscopale" delegasset[5]). Nam licet iurisdictionis negotia essent divisa et praeter Consistorium creatum esset et sic dictum Forum Archiepiscopale, tamen illi Foro qua „Vicarius officialis et Praeses" nemo alius erat praefectus quam Rssimus et Illmus D. D. Rudolphus L. B. de Thysebaert, archiepiscopi Friderici Suffraganeus et Vicarius simul in Spiritualibus Generalis[6]). Hunc Vicarium generalem et Officialem anno 1867. archipraesul ille a gerendo munere Officialatus absolvit et Rssmum et Illmum D. Arthurem L. B. de Koenigsbrunn constituit „Vicarium Officialem (cum obligatione gerendi praesidii in Foro Archiepisc. Iudiciali utriusque instantiae sicut et gerendae substitutionis eventualiter impediti Vicarii Generalis tum in Consistorio tum extra illud")[7]). Mortuo die 12. Maii anni 1868.[8]) vicario generali negotia et Consistorii obibat qua „Vicarius Officialis" usque ad suum obitum die 9. Februarii 1880[9]). Dein Rssimi

---

[1]) Decret. in Curia Archiepisc. Olomuc. die 7. Augusti 1741.

[2]) Decret. in Curia Archiepisc. Olomuc. die 28. Octobris 1799.

[3]) Ordin. Consistor. V. Nro 514. ddto 10. Martii 1829.

[4]) C. 2. in VI. de offic. Vicarii. 1. 13. (Bonifacius VIII.).

[5]) Litterae archiepiscopi Friderici pastorales ddto 1. Decembris 1856.

[6]) Currend. Consistor. XII. anni 1856. Nro 9497.

[7]) Extractus ex Currend. Consistor. X. et XI. anni 1867. pro parte archidioecesanea in ditione regio Borussiae sita. Nro 9011.

[8]) Extractus ex Curr. Cons. V. et VI. anni 1868.

[9]) Extractus ex Curr. Cons. I. et II. anni 1880.

et Illmi Gustavus C. de Belrupt-Tissac ad munus Vicarii Officialis et Fori Archiepisc. Praesidis et Emmanuel C. de Poetting et Persing Vicarius in spiritualibus Generalis et Archiepisc. Consistorii Praeses promoti sunt[1]). Defuncto vero die 20. Augusti 1892.[2]) Cardinale Friderico constitutus est Vicarius Capitularis[3]) Rssimus D. Josephus Hanel, quem postea Celsissimus ac Reverendissimus Noster Archiepiscopus Theodorus „Fori Archidioecesanei Iudicialis“ Vicarium Officialem[4]), Reverendissimum vero D. Ioannem Weinlich Vicarium in Spiritualibus Generalem[5]) gratiosissime nominavit. Hoc ergo tempore et in archidioecesi Olomucensi duo existunt Officia cum duobus distinctis praesidibus, cum Vicario in Spiritualibus Generali, qui Consistorio[6]), et cum Vicario Officiali, qui Foro praeest[7]) Archidioecesano Iudiciali[8]).

Caput III.

De notis singularibus officii[9]) officialis sive vicarii generalis episcopi.

Materiam hanc tractantium auctorum, qui solo innituntur iure communi, historiam vero huius instituti non respiciunt, alii

---

[1]) Extractus ex Curr. Cons. VI. et VII. anni 1880. Nro 4029. et Nro 5122.

[2]) Curr. Cons. VIII. anni 1892.

[3]) Curr. Cons. VIII. anni 1892.

[4]) Curr. Cons. IV. anni 1893. Nr. 5425.

[5]) Curr. Cons. V. anni 1893. Nr. 6933.

[6]) Catalogus anni 1898. p. 26. et sequ. Membra Consistorii porro pro tempore sunt: 57 Consiliarii Archiepisc. actuales et Assessores cum voto, 41 Auditores, 10 Cancellariae Officiales et 59 Consist. Consiliarii titulares praeter Decanos foraneos et schol. element. districtual. Inspectores actuales et emeritos.

[7]) Catalogus anni 1898.

[8]) Constat pro tempore e Substituto Vicarii Officialis, 9 Iudicibus, 1 Defensore Matrimonii ordinario, Fori judicialis procuratore fiscali et Secretario. Catalogus anni 1898.

[9]) Silentio non est praetereundus tractatus de vicario generali in „Analecta Iuris Pontificii, Troisième série (Première partie du second Volume), Rome 1858., p. 853.—926., ubi praeprimis de vicarii generalis episcopi potestate disseritur.

uti Sbrozzius[1]), Leurenius[2]), Reiffenstuel[3]) et Ferraris[4]) minus accurate, alii vero uti Bouix[5]), cum quo et de Moy[6]) satis accurate definiunt, quid sit officialis sive vicarii generalis officium. At non solum ius respiciens commune, sed et historiam notas citati officii deducturus sum singulares.

§. 1.

De notis singularibus officii officialis seu vicarii generalis episcopi et historia spectata et iure communi.

1. Saeculo XII. archidiaconus, ut supra erat dictum, episcopo plerumque iam non erat adiutorio, sed impedimento. Episcopus ergo aliquis ad ea negotia obeunda, quae adhuc praeter ipsum solus archidiaconus resp. archidiaconi obibant, sibi cooptabat officialem resp. officiales, quibus propterea haud pauca cum archidiacono fuisse communia nemo negabit. Nam sicut archidiaconus ministerium praebens suo episcopo de iure communi „vicarius“ [7]) erat ipsius, ita et officialis „nihil habens proprium“ [8]) de iure communi „vicem“ [9]) gerebat episcopi. Archidiaconus, qui ne presbyterali quidem, eo minus episcopali initiatus erat dignitate, obibat, quia „duplex in Episcopis consideratur potestas, Ordinis nimirum, et iurisdictionis“ [10]), proin iurisdictionis tantum negotia praecipue ea fori iudicialis[11]). Et

---

1) L. c., Lib. I. Quaest. 28. n. 7.

2) L. c., Cap. I. Quaest. 7.

3) L. c., Tom. I. Lib. 1. Tit. 28. §. 3.

4) Bibliotheca canonica, Tom. VII. Romae 1768. v. „Vicarius Generalis Episcopi“, Articul. I. n. 1.

5) L. c., Part. II. cap. 2. §. 1. proposit. 9.: „Vicarius generalis Episcopi recte definiri potest: legitime deputatus ad exercendam generaliter jurisdictionem episcopalem vice Episcopi, et ita ut actus ejus ab Episcopo gesti censeantur.“ Huius definitionis ultimis verbis „et ita ut . . .“ auctor qua rationem praemittit, quod tribunal utriusque censetur esse unum idemque.

6) L. c., p. 406.

7) C. 1. X. de offic. Archidiaconi. 1. 23. (Ex libro Romani ordinis).

8) Fr. Quaecunque specialiter. 1. §. 1. D. de officio eius cui mandata est iurisdictio. (1. 21.).

9) C. 3. in VI. de appellat. 2. 15. (Innocentius IV. in concilio Lugdunensi). — Cfr. Fr. Solet praetor. 16. pr. D. de iurisdictione. (2. 1.).: „et is, cui mandata Iurisdictio est, fungetur vice ejus, qui mandavit, non sua.“

10) Benedict. XIV., l. c., I. 4. 1.

11) C. 2. et 10. X. de offic. Archidiaconi. 1. 23.

officialis tantum „in iis, quae iurisdictionis sunt“[1]), vicem supplens episcopi imprimis „de causis ad ipsius forum pertinentibus“[2]) cognoscebat. At cum de iure communi non laicus[3]) sed clericus ecclesiastica negotia tractare deberet, et officialis igitur esset clericus erat necesse. Officialem debuisse sicut archidiaconum legitime esse promotum[4]) facile est intellectu et infra demonstrabitur. Cum vero archidiaconus saec. XII. iam non uti prioribus saeculis de causis ad episcopi forum, sed potius ad proprium tribunal pertinentibus cognosceret et ergo ab ipso ad episcopum appellaretur[5]), episcopus propter molem negotiorum sui fori sibi adiunxit officialem, qui de causis ad episcopi forum pertinentibus cognoscens cum ipso „unum et idem consistorium sive auditorium“ constituebat, ita ut ab officiali non ad eius episcopum, ne ab eodem ad se ipsum, sed ad metropolitanum, cui episcopus subest, appellaretur[6]).

2. Sicut archidiaconus denique de iure communi episcopi vicarius erat „in omnibus, et omnem curam in clero, tam in urbe positorum, quam eorum, qui per parochias habitare noscuntur, ad se pertinere“ sciebat[7]), contentiosi vero fori negotia praecipue obibat, ita et officialis de iure communi „generaliter“[8]) seu „per commissionem officii, generaliter sibi factam“[9]) seu vi „generalis concessionis“[10]) generale accipiens mandatum imprimis de causis ad episcopi forum pertinentibus cognoscebat. E modo dictis etiam id potest cognosci, quod ius commune officiali adscribit certa ipso iure communi definita negotia ecclesiastica, quae obire potest ac debet[11]), ita ut ei committatur „officium“[12])

---

[1]) Benedict. XIV., l. c., II. 8.

[2]) C. 3. in VI. de appellat. 2. 15.

[3]) C. 2. X. de appellat. 2. 1. (Innocentius IV. in concilio Lugdunensi).

[4]) Bouix, l. supra c.

[5]) Conciliabulum Clarendonense anni 1164. c. 8., Harduin. VI. part. II. p. 1603. — Cfr. c. 3. in VI. de appellat. 2. 15.

[6]) C. 3. in VI. de appellat. 2. 15. et c. 2. in VI. de consuetudine. 1. 4. (Bonifacius VIII.).

[7]) C. 1. X. de offic. Archidiac. 1. 23.

[8]) C. 3. in VI. de appellat. 2. 15.

[9]) C. 2. in VI. de offic. Vicarii. 1. 13. (Bonifacius VIII.).

[10]) C. 3. in VI. de offic. Vicarii. 1. 13. (Bonifacius VIII.).

[11]) Laemmer, l. c., II. ed. I. Thl. I. Abthl. §. 32. n. 1.

[12]) C. 2. in VI. de offic. Vicarii. 1. 13. (Bonifacius VIII.).

ecclesiasticum. Quae modo de officiali episcopi sunt dicta, valent et de vicario generali episcopi, cum hic et ille in effectu sint idem. Proin supra dictis collectis officium officialis sive vicarii generalis episcopi est: ius et obligatio legitime constituti clerici virtute generalis mandati in iis, quae iurisdictionis sunt, vicem gerendi episcopi, ita ut censeatur idem esse auditorium utriusque. Hoc loco uberius exponere mihi adhuc licet duas sequentes officii officialis sive vicarii generalis episcopi notas singulares.

§. 2.

De mandato officiali seu vicario generali episcopi generaliter faciendo.

1. Verbis c. Romana Ecclesia 3. de appell. in VI. (II. 15.) testantibus officiales episcoporum „generaliter de causis cognoscunt" fori episcopalis. Verba vero „generaliter de causis cognoscunt" non sunt ita intelligenda, ac si officiales, qui ceterum sicut archidiaconi praecipue causas cognoscebant et decidebant, sint deputati ad generalitatem seu universitatem[1]) causarum seu negotiorum fori tantum iudicialis[2]), sed authentica sequenti ipsius iuris communis interpretatione verbi „generaliter" ita, ut ipsi „per commissionem officii, generaliter sibi factam"[3]) seu vi „generalis concessionis"[4]) accepto generali mandato[5]) vices suppleant episcoporum historia enarrata in §. 2. c. 2.

---

[1]) Fr. Praetor sicut. 17. pr. D. de iurisdictione. (2. 1.).: „Praetor sicut universam iurisdictionem mandare alii potest, ita et in personas certas, vel de una specie potest."

[2]) Cfr. synod. Pictavens. anni 1280. c. 2. verba: „ne aliquis archipresbyter, in pluribus locis et villis archipresbyteratus sui, causarum audientiam convocare, vel generaliter exercere praesumat, sed in uno loco tantummodo sit contentus." Harduin. VII. p. 850. — Ceterum opinio officiales episcoporum ad generalitatem tantum causarum seu negotiorum temporalium seu fori iudicialis esse deputatos tunc temporis pervulgata et fuisse ansa videtur usus aliquarum dioecesum praeter officialem constituendi vicarium in spiritualibus generalem.

[3]) C. 2. in VI. de offic. Vicarii. 1. 13.

[4]) C. 3. in VI. de offic. Vicarii. 1. 13.

[5]) Fr. Procurator. 58. pr. D. de procuratoribus et defensor. (3. 3.).: „Procurator, cui generaliter libera administratio rerum commissa est, potest exigere, aliud pro alio permutare." — Cfr. Fr. Mandato generali. 60. pr. D. de procurator. et defensor. (3. 3.).

approbante in omnibus[1]) eorum negotiis et iurisdictionis contentiosae v. g. in causarum cognitione[2]) et voluntariae v. g. in beneficiorum collatione licet specialiter ipsis commissa[3]). Ergo de iure communi[4]) officiali seu vicario generali episcopi generalitas seu universalitas iurisdictionis episcopalis contentiosae et voluntariae est concedenda eaque „non stricte sumpta, quae nullam patitur exceptionem, sed moraliter sumpta, quae exceptiones et reservationes admittit“[5]), cum ipsum ius commune universalem officialis seu vicarii generalis potestatem v. g. in c. 2. et 3. in VI. de offic. Vicarii. 1. 13. restringat exceptionibus et adhuc hanc restringendi episcopo concedat potestatem. Qua de causa episcopus officiali seu vicario generali inhibere potest, ne in causa coram se pendente aut in causa adhuc integra iudicet[6]).

2. Quando vero nimiis reservationibus et exceptionibus ab episcopo factis substantia generalitatis iurisdictionis negotiorum de medio tollatur, praecise non potest indicari, cum iterum ipsum ius commune ipsa divisione iurisdictionis episcopalis admissa „usum“[7]) toleret, de quo in aliquibus dioecesibus, ut supra erat dictum, officialis ad generalitatem seu universalitatem negotiorum iurisdictionis episcopalis contentiosae, vicarius vero in spiritualibus[8]) generalis ad eam negotiorum iurisdictionis voluntariae deputatur, „adeo ut Vicarius limites suae iurisdictionis excederet, si judicialiter partes coram se citari juberet, aut judiciales informationes super commisso crimine caperet. . Et

---

[1]) Fr. Solet praetor. 16. pr. D. de iurisdictione. (2. 1.).: „Solet praetor iurisdictionem mandare, et aut omnem mandat, aut speciem unam.“

[2]) C. 2. in VI. de offic. Vicarii. 1. 13.

[3]) C. 3. in VI. de offic. Vicarii. 1. 13.

[4]) Benedict. XIV., l. c., III. 3. 2.: „Apud nos autem unus et idem Episcopi vices, in utriusque iurisdictionis exercitio, gerere consuevit; quod etiam esse iuri conformius, observavit Guillelmus Lyndevode.“

[5]) Bouix, l. c., Part. II. Sect. 2. c. 2. §. 1. proposit. 6a.

[6]) Sbrozzius, l. c., Lib. 3. Quaest. 6. n. 6.

[7]) Benedict. XIV., l. supra c.

[8]) „Vicarius in temporalibus seu Oeconomus“ ad hanc materiam non spectat, licet aliqui canonistae antiqui generali officialis seu vicarii generalis potestati necessariam habeant proprietatem, ut ipse et ad temporalia constituatur, cum antiquitus generaliter „temporalibus“ et negotia intelligantur forensia seu iurisdictio contentiosa. Secus vero nostro tempore. Cfr. Sbrozzium, l. c., Lib. 1. Quaest. 26. n. 1. 2. 4.

vice versa officialis"[1]). Hoc autem constat officialem seu vicarium generalem episcopi ad certa quaedam dumtaxat iurisdictionis negotia licet in tota dioecesi deputatum non esse officialem seu vicarium generalem talem, qualis de iure communi sit constituendus.

§. 3.

De identitate fori episcopi et officialis seu vicarii generalis episcopi.

1. „Quum episcopus in tota sua dioecesi iurisdictionem ordinariam noscatur habere" et propterea „in quolibet loco ipsius dioecesis non exempto per se vel per alium possit pro tribunali sedere"[2]), competit et officiali seu vicario generali, cum ipse vi generalis mandati ordinariam episcopi exerceat iurisdictionem[3]) cumque insuper idem sit tribunal sive consistorium utriusque[4]), exercitium iurisdictionis episcopalis per totam[5]) dioecesim, licet episcopus, sicut suae ordinariae iurisdictionis negotia officiali seu vicario generali generaliter committenda restringere[6]), ita et hunc vel illum dioecesis locum aut districtum e iurisdictione eius exceptos sibi possit reservare. Si autem eum constitueret tantummodo pro sua civitate episcopali aut pro aliquo dumtaxat dioecesis suae districtu aut si eius iurisdictionem ad mediam dioecesis partem restringeret, etiamsi ibi ei committeret universam

---

[1]) Van Espen, l. c., Part. I. Tit. 12. c. 5. n. 2. — E contra Bouix, l. c., Part. II. Sect. 2. c. 2. §. 3. propos. 5., Vicarium valide et iurisdictionem contentiosam posse exercere nulla fretus ratione opinatur, et vice versa officialem valide voluntariam. At definitio competentiae vel incompetentiae utriusque ad bene administrandam dioecesim omnino est necessaria, praesertim cum et ipsa mandati generalis circumscriptio a beneplacito dependeat episcopi.

[2]) C. 7. in VI. de offic. ordinarii. 1. 16. (Bonifacius VIII.).

[3]) Benedict. XIV., l. c., II. 8. 2.

[4]) C. 3. in VI. de appellat. 2. 15. (Innocentius IV.) et c. 2. in VI. de consuetud. 1. 4. (Bonifacius VIII.).

[5]) Benedict. XIV., l. c., III. 3. 5.: „Praeter Vicarium Generalem, qui toti praeest dioecesi, . . ." — Cfr. Martin, l. c., Part. II. Sect. 1. Schema 1. c. 7.: „Magni momenti in universae Dioecesis negotiis expediendis est Vicarii generalis officium." — Fournier, l. c., p. 13.: „son (l'official principal) mandat s'étend à la circonscription entière et à l'universitas causarum."

[6]) Cfr. praeced. §. 2.

suam iurisdictionem ordinariam, ibi constitutus non esset de iure communi officialis seu vicarius generalis, sed esset tantum delegatus [1]), haberet iurisdictionem ab episcopali divisam eamque delegatam, non absimilem ei vicariorum ruralium [2]). E contra v. g. vicarius generalis antistitis Vratislaviensis in eiusdem dioecesis parte Austriaca praeter eum in parte Borussica optante imperio Austriaco constitutus verus est vicarius generalis, cum toti politicae [3]) in Austria sitae haud parvae eiusdem dioecesis parti sit praefectus [4]). Cum autem officialis seu vicarius generalis generaliter suppleat vicem episcopi per totam dioecesim idemque sit utriusque consistorium, iam propter unitatem regiminis et actuum utriusque uniformitatem degere debet in eodem loco, in quo episcopus sedem habet ac ius dicere solet, seu, cum retroactis saeculis sedes episcopalis simul esset locus principalis, in loco principali, ita ut officialis ipse diceretur officialis principalis [5]). Quoad exceptiones vero personarum, quae foro subiectae sunt episcopi, et proin et officialis, sufficiant supra dicta de exceptionibus et iurisdictionis negotiorum et dioecesis locorum.

2. Ulterius inde, quod unum idemque est utriusque tribunal, deducitur, quod ab officiali seu vicario generali „in iis, quae agit ut Vicarius Generalis, ad Episcopum appellari nequit, sed appellari debet ad Archiepiscopum“ [6]), cum sit „contra substantiam

[1]) Ferraris, l. c., ad v. „Vicarius Generalis Episcopi“, Art. I. n. 16. Tom. VII.

[2]) Leurenius, l. c., C. I. Quaest. 8.

[3]) Helfert, Rechte und Pflichten der Bischöfe und deren Gehilfen. Prag 1832., p. 370.

[4]) Dziatzko, Die kirchenrechtliche Stellung des Generalvicars und neuernannten Weihbischofs für den österr. Antheil der Diöcese Breslau. Archiv f. kath. K. R. 51. Bd. p. 145. — In archidioecesis Olomucensis parte Borussica haud magna Commissarius Archiepiscopalis demandatur neque ad universitatem neque ad certum genus, sed ad quosdam iurisdictionis actus obeundos, licet temporibus belli anni 1866. ei a suo archipraesule illae quoque facultates sint communicatae, „quibus de iure communi et speciali Archidioeceseos Olomucensis consuetudine Vicarii generales fruuntur.“ Diploma in archivo Archiepiscopalis Commissariatus Katscheriensis ddto Kremsirii die 15. Iuni 1866.

[5]) Clem. Etsi principalis. 2. de rescr. [1. 2.].

[6]) Schmalzgrueber, Ius Ecclesiasticum Universum. Neapoli 1738., Part. IV. Tit. 28. §. 2. n. 15.

actus, sive appellationis, utpote de cujus essentia est, quod fit ab inferiori Iudice ad superiorem provocatio" [1]).

E modo dictis efficitur a) respectu appellationis: 1. Contraria consuetudo appellandi ab officiali seu vicario generali ad episcopum est de iure communi impossibilis atque irrationabilis [2]). 2. Processus etiam partibus consentientibus, ut appelletur ab officiali sive vicario generali ad episcopum, est irritus, appellatio nulla [3]). 3. Non datur appellatio talis in requirentibus speciale mandatum, dum ea simul cum potestate ordinaria commissa sunt [4]) aut postea ipsi tamquam officiali seu vicario generali sive intuitu officii officialatus seu vicariatus per speciale mandatum committuntur [5]). 4. „Nequit appellari, sive appelletur in iudicio, sive extra" [6]). E contra fit appellatio: 1. respectu causarum specialiter delegatarum, quae officiali seu vicario generali ab episcopo extra commissionem generalem vicariatus seu officialatus „seorsim ac separatim" [7]) committuntur. 2. In dubio, utrum hae causae specialiter delegatae, quae extra commissionem generalem committuntur, intuitu officialatus seu vicariatus an seorsim sint commissae [8]). 3. Generaliter appellari potest a sententia officialis seu vicarii generalis interlocutoria. Episcopus enim qua iudex ordinarius ipse generaliter suam sententiam interlocutoriam potest revocare, proin et eam officialis seu vicarii generalis [9]). b) respectu sententiae definitivae, quae citatam ob causam habenda est quasi ab episcopo prolata: 1. Episcopus potestate sententiam definitivam sui officialis seu vicarii generalis in integrum restituendi non gaudet, cum administrationem habenti ordinario inferiori papa iudici, qui de iure communi causam restitutionis in integrum contra sententiam

[1]) Reiffenstuel, l. c., Tom. I. Lib. I. Tit. 4. §. 3. n. 75.

[2]) C. 2. in VI. de consuetud. 1. 4. (Bonifacius VIII.).

[3]) Sbrozzius. l. c., Lib. 3. Quaest. 2. n. 11.

[4]) Leurenius, l. c., C. II. Quaest. 74. n. 2.

[5]) Schmalzgrueber, l. c., Tom. I. Part. IV. Tit. 28. §. 2. n. 19. — Cfr. Reg. iuris 42. in VI.: „Accessorium naturam sequi congruit principalis."

[6]) Sbrozzius, l. c., Lib. 3. Quaest. 2. n. 10.

[7]) Schmalzgrueber, l. supra c.

[8]) Leurenius, l. c., C. 3. Quaest. 104.

[9]) Fr. Quod iussit. 14. pr. D. de reiudicata. (42. 1.), cui Dionys. Gothofredus in nota „h" addit speciales casus, in quibus et ab interlocutoria nequit appellari.

definitivam a se ipso prolatam concedere potest[1]), inducta contraria consuetudo id prohibeat[2]). Proin nec supplicatio fieri potest dictum in finem. 2. Item non potest nostris diebus supplicari ad episcopum, ut revocet aut corrigat validam aut iniustam officialis seu vicarii generalis sententiam definitivam, cum ne ipse quidem suam sententiam definitivam nec validam[3]) nec iniustam[4]) possit revocare aut corrigere, sed iudex appellationis[5]). Aliter res se haberet, si sententia definitiva episcopi vel eius officialis seu vicarii generalis esset aliquo modo irrita, quo in casu et ipse sua et proin et ea sui officialis seu vicarii generalis revocata aut correcta sententia definitiva causam denuo inducere potest[6]), licet nostris diebus de querela nullitatis solus iudex appellationis pronuntiet[7]).

3. Officialis seu vicarius generalis „in iis, quae iurisdictionis sunt, una eademque cum episcopo censetur persona“[8]). Et propterea si 1. episcopus sit non tantum toleratus, sed nominatim seu vitandus excommunicatus aut suspensus aut interdictus, non solum ipsius episcopi suspenditur iurisdictio, sed et ea officialis seu vicarii generalis eiusque substituti etiam quoad negotia iam incepta[9]). 2. Quando episcopus suspectus est, merito et officialis seu vicarius generalis tamquam suspectus potest recusari; haud quaquam autem e contrario, quia episcopus „non pendet, quoad

---

[1]) C. 9. X. de in integrum restit. 1. 41. (Gregorius IX.).

[2]) Bouix, l. c.. Part. II. Sect. 2. c. 2. §. 4. Quaest. 8.

[3]) Fr. Quod iussit. 14. pr. D. de re iudicata. (42. 1.): „Quod iussit, vetuitve praetor, contrario imperio tollere, et repetere licet; de sententiis contra.“ Gothofredus ad v. „de sententiis“ notat: „Sententiam interlocutoriam, non definitivam, iudex revocare potest.“

[4]) Fr. Acta apud se. 45. §. 1. D. de re iudicata. (42. 1.): „De amplianda vel minuenda poena damnatorum post sententiam dictam, sine principali auctoritate nihil est statuendum.“ Gothofredus notat ad v. „poena“: „Aliud est in mulcta. Mulcta differt a poena.“ Ergo episcopus non poenam, sed mulctam per viam gratiae potest condonare. Cfr. Fr. Quod dicitur. 1. §. 1. D. Quis a quo appelletur. (49. 3.).

[5]) Fr. Appellatore defuncto. 1. pr. D. si pendente appellatione. (49. 13.).

[6]) Fr. Si expressim. 19. pr. D. de appellationibus et relation. (49. 1.).

[7]) Bouix, l. c. Part. II. Sect. 2. c. 2. §. 4. Quaest. 8.

[8]) Benedict. XIV., l. c., II. 8.

[9]) Leurenius, l. c., C. 2. Quaest. 89. et c. 5. Quaest. 293. n. 1.

conservandum munus suum, a Vicario suo" [1]). 3. Appellatio fieri potest a delegato episcopi ad officialem seu vicarium generalem, nisi episcopus eam sibi reservaverit et si causa alteri specialiter delegata talis sit, quae ad officialis seu vicarii generalis pertinet officium [2]). 4. Si delinquat sive sciente sive nesciente episcopo officialis seu vicarius generalis in officio et iurisdictione v. g. privilegia apostolica non servet, sententias per gratiam vel sordes proferat et alia similia in exercitio iurisdictionis committat, neutique episcopus delinquentis officialis seu vicarii generalis, cum ratione affectionis, unionis et interesse sit iudex suspectus et in propria quodam modo iudicaret causa, sed archiepiscopus etiam in prima instantia est iudex competens [3]).

Caput IV.

De iurisdictione officialis sive vicarii generalis episcopi.

Licet omnes materiam nostram tractantes et in designandis et definiendis essentialibus proprietatibus officii officialis seu vicarii generalis consentiant, tamen inter se discrepant responsuri ad quaestionem, qualis sit eius iurisdicto.

§. 1.

De diversis diversorum auctorum opinionibus de iurisdictione officialis seu vicarii generalis.

Qui disputant de officialis seu vicarii generalis iurisdictione, omnes in quatuor distribui possunt classes. Ad I. classem pertinent tantum pauci, qui uti Goffredus et Alciatus „Vicarium episcopi esse delegatum ad universalitatem causarum, non autem

[1]) Leurenius, l. c., c. 2. Qu. 90. et 91.

[2]) Leurenius, l. c., c. 2. Qu. 81.

[3]) Sacra Congregatio Concilii in Tarentina. 15. Febr. 1642. Cfr. Monacelli Formularium Legale Practicum, Romae 1844., Part. III. Tit. 2. Formula 32. adnot. 7. et 11. Quoad officiales seu vicarios generales regulares cfr. ibidem adnot. 13.

ordinarium“ [1]) contendunt discernentes ab ordinaria iurisdictione solam delegatam, quam non solum praedicti, sed plurimi auctores [2]) usque ad saec. XVIII. perversa praeprimis glossae interpretatione [3]) permoti unam eandemque esse putabant ac mandatam. Qua re utriusque iurisdictionis proprietatibus confusis ius permittit canonicum, ut et delegatus, cui de iure civili iurisdictio proprie ad singulares tantum datur causas [4]), ad universalitatem deputetur causarum [5]) sicut de iure civili solus mandatarius [6]). Et sicut mandatarius de iure civili [7]), ita et delegatus ad universalitatem causarum potest de iure canonico subdelegare [8]), licet de iure civili iudex datus seu delegatus, nisi sit delegatus a principe, iudicem dare non possit [9]). Talem ergo delegatum ad universalitatem causarum esse officialem seu vicarium generalem opinio erat illorum paucorum eaque erronea praecipue propterea, quod et de iure civili [10]) et de iure canonico [11]) a delegato et ab eo ad universalitatem causarum et ab eo a principe dato ad delegantem appellatur, cum ab officiali seu vicario generali non ad episcopum, sed ad archiepiscopum fiat appellatio [12]), ita ut iurisdictio eius non possit esse delegata, sed alia sit necesse est.

---

[1]) Sbrozzius, l. c., Lib. 2. Quaest. 55. n. 1. — Friedle, l. c., p. 350. citat adhuc Garciam, Laymann et Gomez, licet ipsi iurisdictionem eius esse ordinariam, derivari autem ab episcopo dicant. Cfr. Bouix, l. c., Part. II. Sect. 2. c. 2. §. 2. Quaest. 1. a.

[2]) Schmalzgrueber, l. c., Tom. I. Part. IV. Tit. 29. §. 1. n. 3.

[3]) Gl. ad v. „qui mandatam. Fr. Quaecunque specialiter. 1. §. 1. D. de offic. ej. c. mandata est iurisd. (1. 21.): „mandata et delegata jurisdictio idem est.“

[4]) München, l. c., I. Bd. p. 17.

[5]) Schmalzgrueber, l. c., Tom. I. Part. IV. Tit. 29. §. 1. n. 2.

[6]) Fr. Praetor sicut. 17. pr. D. de iurisdict. (2. 1.).

[7]) Fr. Cum praetor. 12. §. 1. D. de iudiciis et ubi quisque agere. (5. 1.).

[8]) Reiffenstuel, l. c., Tom. I. Lib. 1. Tit. 29. §. 2. n. 32. — Cfr. Gloss. ad c. 62. X. de appell. II. 28. v. delegatus: . . . non potest . . . qui est delegatus ab alio ad unam causam tantum; nam si esset ei delegata universitas causarum, bene posset unam causam alii subdelegare.

[9]) C. A iudice iudex. 5. pr. Cod. Iust. de iudiciis. (3. 1.).

[10]) Fr. Dato iudice. 3. pr. D. Quis a quo appell. (49. 3.).

[11]) Reiffenstuel, l. c., Tom. I. Lib I. Tit. 28. §. 4. n. 93.

[12]) C. 3. in VI. de appell. 2. 15.

Ad II. classem vero referendus est magnus numerus eorum, qui ab ordinaria pariter solam delegatam discernentes officiali seu vicario generali ordinariam adscribunt iurisdictionem v. g. Sbrozzius[1]), Leurenius[2]), Schmalzgrueber[3]), Reiffenstuel[4]), Bouix[5]), de Moy[6]) multique alii. Cum autem constet iurisdictionem officialis seu vicarii generalis non esse irrevocabilem et perpetuam, nonnulli recentiores discernentes et a delegata et ab ordinaria iurisdictionem mandatam eam officialis sive vicarii generalis esse nonnisi mandatam demonstrant.

Huius III. classis sunt auctores Mache[7]) et imprimis Friedle, qui Engel, Philipps, Aichner et Schulte qua eiusdem sententiae enumerat sectatores[8]).

Ad IV. classem pertinent denique Van Espen[9]), de Schenkl[10]), München[11]), Laemmer[12]) et Fournier[13]), qui iurisdictionem officialis seu vicarii generalis suis essentialibus proprietatibus esse et manere quidem mandatam seu vicariam, iure communi autem factam esse ordinariam vel quasi ordinariam affirmant. Cui sententiae accedo eamque sum demonstraturus.

§. 2.

De iurisdictione officialis seu vicarii generalis initiis et historia primaeva testantibus mandata seu vicaria.

1. Circa medium saec. XII. hic vel ille amplioris dioecesis citramontanae episcopus „utilitatis causa“[14]) non unum, sed plures sibi adiunxit officiales. Quibus cum episcopus multis arduisque

---

[1]) L. c., Lib. 2. Quaest. 55. n. 16.
[2]) L. c., C. 2. Quaest. 69.
[3]) L. c., Tom. I. Part. IV. Tit. 28. §. 2. n. 19.
[4]) L. c., Tom. I. Lib. 1. Tit. 28. §. 4. n. 91.
[5]) L. c., Part. II. Sect. 2. c. 2. §. 2. Quaest. 2. a.
[6]) L. c., Archiv f. kath. K. R. IV. Bd. p. 409.
[7]) De delegata episcoporum iurisdictione. Dissertatio inauguralis anni 1859. habita Vratislaviae. p. 32.
[8]) L. c., Archiv f. kath. K. R., 15. Bd. p. 350.
[9]) L. c., Part. I. Tit. 12. c. 5. n. 8. et Part. III. Tit. 5. c. 1. n. 33.
[10]) L. c., Part. I. §. 301.
[11]) L. c., p. 24.
[12]) L. c., ed II., I. Thl. I. Abth. §. 69. n. 1.
[13]) L. c., p. 13. et p. 19. §. 6.
[14]) Fr. Necessarium. 2. §. 33. D. de orig. iuris. (1. 2.).

occupatus negotiis plerumque et voluntariae iurisdictionis negotia, quae nomine eius obirent, et praeprimis causas committeret fori iudicialis vice ipsius cognoscendas, factum est, ut officiales episcopi magnam adipiscerentur „in spiritualibus et in temporalibus“ [1]) potestatem, quae adhuc augebatur, cum episcopus initio saec. XIII. unum tantum sibi cooptaret officialem. E modo dictis sequitur, quod episcopus, cum ceterum demum sub Innocentio P. IV. in iure communi mentio fiat potestatis officialis episcopi, sua sponte sibi adiungebat officialem eique deferebat iurisdictionem. De iure autem civili, cuius leges iam illo tempore et in iure canonico magni erant momenti, in arbitrio erat episcopi qua magistratus maioris [2]) ei iurisdictionem aut mandare aut delegare [3]). Fini, ad quem episcopus sibi cooptabat officialem, ut esset sicut archidiaconus vicarius suus in omnibus, simul autem eidem praeesset tribunali, iuris civilis non delegata, sed iurisdictio mandata, quae generaliter eadam est ac vicaria [4]), prorsus conveniebat.

2. Iuris civilis fr. Solet Praetor. 16. pr. D. de iurisdict. (2. 1.) ait: „Solet praetor iurisdictionem mandare, et aut omnen mandat, aut speciem unam, et is, cui mandata Iurisdictio est, fungetur vice eius qui mandavit, non sua“ [5]). Simul accipit mandatarius „ultimam et perfectam“ [6]) potestatem sententiam suam exequendi iuris civilis verbis: „et imperium, quod iurisdictioni cohaeret mandata iurisdictione transire: quod verius est“ [7]). Et licet mandatarius, cum „alieno beneficio“ [8]) iurisdictionem habeat, „mandatam sibi iurisdictionem mandare alteri non“ [9]) possit, tamen „judicis dandi ius habet“ [10]) seu „delegare

---

[1]) Cfr. §. 2. c. II. n. 2. et 3. in hac dissertatione.

[2]) München, l. c., Tit. 1. §. 14. p. 21.

[3]) Ibidem, l. c., Tit. 1. §. 13. p. 18.

[4]) Reiffenstuel, l. c., Tom. I. Tit. 28. §. 1. n. 17. et Tit. 29. §. 2. n. 28.

[5]) Corpus I. Civilis notis illustratum a Dionys. Gothofredo. Lugduni 1652. — Cfr. Fr. 17. incipiens verbis: „Praetor sicut universam iurisdictionem mandare alii potest . . .“ D. de iurisdict. (2. 1.).

[6]) Schmalzgrueber, l. c., Tit. 29. §. 1. n. 3.

[7]) Fr. Quaecunque. 1. §. 1. in fine. D. de offic. ej. c. mand. (1. 21.).

[8]) Fr. More maiorum. 5. pr. D. de iurisdict. (2. 1.).

[9]) Fr. Mandatam sibi. 5. pr. D. de offic. ejus cui mandata est iurisdict. (1. 21.).

[10]) Fr. Legatus. 12. pr. D. de off. Procons. (1. 16.).

ad particularem aliquam causam"[1]) seu substitutum sic dictum „vices gerentem seu locum tenentem" consentiente episcopo instituere potest[2]). Denique generaliter a mandatario non mandans appellatur testante fr. Quod dicitur. 1. pr. et §. 1. D. Quis a quo appell. (49. 3.): „Ab eo cui quis mandavit iurisdictionem, non ipse provocabitur. nam generaliter is erit provocandus ab eo cui mandata est iurisdictio, qui provocaretur ab eo qui mandavit iurisdictionem."

3. Praedictas iurisdictionis mandatae seu vicariae proprietates essentiales applicabant episcopi suis officialibus, ita ut non speciem unam suae iurisdictionis mandarent, sed constanter generaliter seu vi generalis mandati omnem seu universam iurisdictionem iis committerent. Quam consuetudinem postea confirmavit c. Romana ecclesia. 3. in VI. de appell. (2. 15.) ius commune, licet iurisdictionem officiali eo ipso non deferret[3]). Exemplum episcoporum citramontanorum et ultramontani imitabantur eandem suis vicariis committentes iurisdictionem ac illi suis officialibus. At iurisdictio officialis seu vicarii generalis non solum initiis mandata est seu vicaria, sed et historia sua primaeva. Sic v. g. concilii apud Castrum Gonterii anni 1231. capitulum 35. ait: „Auctoritate concilii provincialis duximus statuendum, quod officiales, et alii demandatam jurisdictionem habentes, in institutione sua jurent, quod turpia munera non recipiant, et quod causas bona fide audient et decident"[4]). Ibidem in fine c. 9. De poena participantium cum excommunicatis. statuitur: „nec possit, nisi per dioecesanum, vel ejus mandatum, interdicti sententia relaxari." Mandato hic evidenter intelligendus est mandatarius dioecesani, officialis episcopi nempe. Supra dictis non obstat glossa ad v. „generaliter" citati c. Romana Ecclesia. 3. in VI. de appell. (2. 15.) notans officialis seu vicarii

---

1) Schmalzgrueber, l. supra c.

2) C. 1. in VI. de offic. Vicarii. 1. 13. (Innocentius IV.). — Cfr. Azorii Lorcitani Institutionum Moralium Part. II. Lib. 3. c. 43. p. 550. Coloniae Agrippinae 1608.

3) Dionys. Gothofredus ad v. „confirmat". fr. Et quia nec. 6. pr. D. de iurisdict. (2. 1.) notat: „Aliud est deferre principaliter iurisdictionem, aliud iurisdictionem ab alio concessam confirmare. Qui confirmat, dat quidem, sed non principaliter, cum non sit prima et immediata causa."

4) Harduin. VII. p. 196.

generalis episcopi iurisdictionem esse ordinariam, cum glossator hoc annotaret demum tempore posteriori, quo eius opinio erat omnium fere communis. Necessaria denique iurisdictionis mandatae consecutio est adhuc sequens officialis seu vicarii generalis proprietas.

4. Officialem seu vicarium generalem „ad nutum" episcopi esse revocabilem eiusque iurisdictionem mortuo episcopo exspirare communis est omnium canonistarum sententia, quae tantum mandata seu vicaria eius iurisdictione potest demonstrari. Nam officialis seu vicarius generalis, „qui mandatam jurisdictionem suscepit, proprium nihil habet sed eius, „qui mandavit, iurisdictione utitur" [1]) seu ut alio loco ius civile ait: „fungetur vice eius qui mandavit, non sua" [2]). Sicut autem nullus canon cogit episcopum, ut sibi officialem seu vicarium generalem constituat, sed potius in eius arbitrio est iurisdictionem suam modo lege et canone confirmato mandare vel non mandare, ita et adimere idque etiam absque ulla rationabili causa iurisdictionem [3]) seu ad nutum [4]) revocare potest suum officialem seu vicarium generalem, sive ante negotium inceptum sive post [5]). Cum denique officialis sive vicarius generalis „omni modo tanquam rivulus a suo fonte, a iurisdictione Episcopi dependeat" [6]) cumque episcopus mandans officiali seu vicario generali suam iurisdictionem prima sit et immediata causa iurisdictionis officialis seu vicarii generalis, cessante vero causa cum cesset effectus, mortuo, episcopo iurisdictio officialis seu vicarii generalis eo ipso exspirat „etiam quoad negotia iam incepta, et causas, in quibus per ipsum lis fuerit ante mortem huius modi contestata" [7]).

---

[1]) Fr. Quaecunque. 1. §. 1. D. de offic. ej. c. mandata est iurisdict. (1. 21.).

[2]) Fr. Solet praetor. 16. pr. D. de iurisdict. (2. 1.).

[3]) Fr. Solent etiam. 6. §. 1. D. de offic. Procons. (1. 16.).

[4]) Ita Glossa in Clem. Etsi principalis. 2. de rescr. 1. 2. vers. „per electionem".

[5]) C. 8. in VI. de procuratoribus. 1. 19. (Bonifacius VIII.). — Cfr. München, l. c., p. 27. §. 19.

[6]) Van Espen, l. c., Part. I. Tit. 12. c. 5. n. 8.

[7]) Clem. 4. de procurat. (1. 10.). — Cfr. München, l. c., p. 24. §. 16.

§. 3.

De iurisdictione officialis sive vicarii generalis iure communi facta ordinaria.

1. Cum iudex delegatus iudicis dandi seu subdelegandi potestatem non habeat, quia loco alterius, non proprio fungatur[1]), habet e contra officialis seu vicarius generalis, licet et ipse fungatur „vice eius qui mandavit, non sua“[2]), „mandata sibi iurisdictione, judicis dandi ius“[3]), quam subdelegandi potestatem non episcopus, sed lex id ita statuens ac volens ipsi concedit, ita ut officialis seu vicarius generalis subdelegans utatur vi legis ita statuentis mandata sua iurisdictione quasi iure proprio. Unde efficitur, quod in officiali seu vicario generali vestigia quaedam sunt magistratus seu officii[4]). Utrum modo dictis an potius maxima auctoritate, qua officialis seu vicarius generalis in singulis dioecesibus ad finem saec. XIII. gaudebat[5]), an aliis rationibus permoti episcopi suos officiales seu vicarios generales haberent „ordinarios“, in medio relinquo. Negari enim non potest, quod iam anno 1286. concilii Bituricensis capitulum 35. statuit verbis: „quod omnes episcopi, et officiales eorum, et alii ordinarii, qui super hoc fuerint requisiti, illam sententiam exsecutioni demandent“[6]). Cui consuetudini particulari[7]) Bonifacius VIII. vim tribuit iuris communis eo, quod potestatem officialis seu vicarii generalis evexit ad magistratum seu officium verbis c. 2. in VI. de offic. Vicarii. 1. 13.: „Licet in officialem episcopi per commissionem officii, generaliter sibi factam, causarum cognitio transferatur.“ At licet Bonifacius VIII. potestatem officialis seu vicarii generalis ipsam evexisset ad officium, hoc non erat mutaturus ipsius potestatis proprietates essentiales, quas iuris-

---

[1]) L. A iudice iudex. 5. pr. Cod. Iust. de iudiciis. (3. 1.).

[2]) Fr. Solet Praetor. 16. pr. D. de iurisdict. (2. 1.)

[3]) Fr. Legatus. 12. pr. D. de offic. Procons. (1. 16.).

[4]) Cfr. Dionysii Gothofredi ad l. A iudice iudex. 5. pr. Cod. Iust. de iudiciis. (3. 1.) notam sub litera „d“.

[5]) V. g. officialis curiae Cantuariensis citat. in §. 4. n. 3. c. 2. h. dissertationis.

[6]) Harduin. VII. p. 962.

[7]) In fine synodi Dunelmens. anni 1276. Ricardus, Dunelmens. episcopi officialis, ad memoriam futurorum ait: „Cupientes, prout nostro incumbit officio . . .“ Harduin. VII. p. 736.

dictio dat mandata seu vicaria, cum significans de illo c. Romana ecclesia. Innocentii IV. in eodem libro VI cum officio officiali seu vicario generali simul committi generalem concessionem seu generale mandatum ipso verbis „per commissionem generaliter factam" edicat.

2. Illius canonis Bonifacii VIII. effectus praeprimis erat hic, quod officialis seu vicarius generalis non uti praeteritis temporibus ex nuda commissione, sed ratione sui officii vices supplebat episcopi [1]). Cum autem sicut recentiorum omnium canonistarum v. g. Van Espen [2]), Reiffenstuel [3]), München [4]) et Laemmer [5]) sententia sit communis, ita et iam illis [6]) constaret temporibus iurisdictionem, quae a lege seu canone ratione officii seu dignitatis cuipiam conceditur, esse ordinariam, propterea et officialis seu vicarius generalis, cum ipsi episcopus iam non iurisdictionem ipsam, sed officium committat, ratione commissi sibi officii habet ordinariam iurisdictionem, licet officium in fundamento iurisdictionis mandatae seu vicariae positum [7]) ratione exercitii [8]) nec irrevocabile esse possit nec perpetuum [9]). Exemplum illius temporis evidens officialis et vicarii generalis, qui auctoritate ordinaria se fungi confirmant, attuli in historia primaeva officialis seu vicarii generalis in archidioecesi Olomucensi [10]). E canonistis recentioribus solum Van Espen, qui, licet ipse potestatem officialis seu vicarii generalis

[1]) Schmalzgrueber, l. c., Tom. I. Part. IV. Tit. 28. §. 2. n. 20.

[2]) L. c., Part. III. Tit. 5. c. 1. n. 3.

[3]) L. c., Tom. I. Lib. I. Tit 29. §. 1. n. 11.

[4]) L. c., Tit. 1. §. 8. in fine p. 11.

[5]) L. c., II. ed. I. Thl. II. Abthl. §. 77.

[6]) Concil. Salmuriens. anni 1315. c. 3. ait: „Unde nos avaritiam talium (i. e. archidiaconorum et eorum vicariorum) refrenare cupientes: statuimus, quod omnes illi ad quos spectat dicta examinatio et praesentatio clericorum, sive ratione sui officii, sive ratione commissionis sibi factae, . . . excommunicationis sententias incurrant." Harduin. VII. p. 1394

[7]) Concil. Mediolanens. V. Constitutionum Part. III. const. 11. ait: „Illud maxime expedit, ut vicarii episcopales alienae potius dioecesis, quam illius sint, ubi commissum vicariae curae officii munus obire atque exequi debent." Harduin. Tom. X. p. 1080.

[8]) Georgii Ludov. Boehmeri Principia I. Canonici, Gottingae 1767., Lib. 2. Sect. 1. Tit. 1. §. 127.

[9]) München l. c., p. 24. §. 16.

[10]) Cfr. §. 5. n. 4. c. 2. h. dissertationis.

esse vicariam [1]) dumtaxat seu mandatam [2]) contendat, confitetur: „Illud hic addendum, per Iudicem Ordinarium vulgo intelligi hodie Officialem Episcopi“ [3]). Sicut autem iam in iure civili magistratus maior a minore, ita et in iure canonico discerni solebat dignitas ab officio [4]). Officialis seu vicarius generalis quidem de iure communi aliqua gaudet dignitate [5]), haec autem dignitas „nec ut beneficium, nec proprie in titulum possidetur“ [6]). Et cum propterea episcopi, quibus in sensu eminenti iure nempe dignitatis competit iurisdictio ordinaria [7]), per eminentiam dicantur „ordinarii“ [8]), e contra officiales seu vicarii generales, quibus tantum ratione praeterea revocabilis officii iurisdictio competit quasi ordinaria [9]), nuncupari possunt „quasi ordinarii“ [10]).

Dein haec ordinaria seu quasi ordinaria officialis seu vicarii generalis iurisdictio se etiam extendit non solum ad casus specialiter in ipso officialatus seu vicariatus instrumento nominatos, sed et ad speciale mandatum requirentes casus, qui ipsi ab episcopo extra commissionem officialatus seu vicariatus expresse tamquam officiali seu vicario generali conceduntur [11]). Ergo iurisdictio officialis seu vicarii generalis suis proprietatibus essentialibus mandata seu vicaria facta est iure communi ordinaria seu quasi ordinaria.

---

[1]) L. c., Part. I. Tit. 12. c. 4. n. 9.

[2]) L. c., Part. I. Tit. 12. c. 5. n. 8.

[3]) L. c., Part. IV. Tit. 5. c. 1. n. 33.

[4]) München, l. c., p. 21. §. 14.

[5]) Clem. 2. I. 2. de rescriptis. et c. 11. in VI. de rescr. I. 3. (Bonifacius VIII.).

[6]) Van Epsen, l. c., Part. I. Tit. 12. c. 4. n. 8.

[7]) C. 7. in VI. de offic. ordinarii. 1. 16. (Bonifacius VIII.).

[8]) Concil. Trid. sess. 25. de regul. et. monial. c. 12.

[9]) Laemmer, l. c., II. ed. I. Thl. II. Abth. §. 77. Iurisdictio.

[10]) Van Espen, l. c., Part. III. Tit. 5. c. 2. n. 7.: „Episcopi habent suos officiales, qui licet vice aliena fungantur, nihilominus non pro Iudicibus Delegatis, sed quasi Ordinariis reputantur.“

[11]) Cfr. §. 3. n. 2. a. c. 3. huius dissertationis.

Caput V.

De officialis seu vicarii generalis episcopi constitutione.

Trium sequentium paragraphorum explicat prima, utrum episcopus possit an absolute teneatur constituere officialem seu vicarium generalem et utrum unum an plures; secunda illustrat, quis valeat et quis non, et tertia, qua forma constitui debeat officialis seu vicarius generalis.

§. 1.

De potestate episcopi unum officialem seu vicarium generalem constituendi.

1. Officiales seu vicarii generales testantibus eorum initiis „utilitatis causa“ [1]) constituti sunt ab episcopis. Illam novam ecclesiae institutionem non essentialem seu fundamentalem, quae temporis decursu, ampliorum dioecesum episcopis valde utilis se praestiterat et necessaria, ius saepius confirmavit commune [2]), ita ut et de iure communi episcopus quisque gaudeat potestate officialem seu vicarium generalem constituendi. In facultate autem episcopi est, „an velit, vel nolit“ [3]) eum constituere. Si velit, potest apprehensa iam possessione episcopatus [4]) licet ante susceptam consecrationem [5]) eum creare solus „absque consensu, vel consilio Capituli“ [6]). Episcopus autem quisque absolute teneri ad eum constituendum nullo iuris positivi probatur textu; potius sacr. Congregatio Concilii sub die 11. Februarii 1696. „admisit quod episcopus non possit arctari ad tenendum vicarium“ [7]), cum negotia et per semetipsum possit explere [8]). Si vero solus obeundo muneri suo episcopali non sufficiat, eum

---

[1]) Fr. Necessarium itaque nobis. 2. §. 33. D. de orig. iur. (1. 2.).

[2]) C. 3. in VI. de appell. 2. 15. (Innocentius IV.) et Tit. 13. de officio Vicarii in VI.

[3]) Monacelli Formularium, ed. III. Romae 1844., Part. II. in appendice decision. I. Sac. Rotae Rom., n. 2. p. 358. — Cfr. Fournier, l. c., p. 15.

[4]) Sbrozzius, l. c., Lib. I. Quaest. 46. n. 15.

[5]) Sbrozzius, Lib. II. Quaest. 23. n. 4.

[6]) Reiffenstuel, l. c., Lib. I. Tit 28 §. 3. n. 64.

[7]) Monacelli Formularium, Part. I. Tit. 1. Formula 1. n. 6.

[8]) Monacelli Formularium, Part. II. in append. decis. 3. S. Rotae Rom. n. 2.

„non sit peritus Iurista, vel ob vastitatem Episcopatus, et ingentem causarum molem, aut ob aliam causam“ [1]) v. g. si episcopus extra suam dioecesim resideat, ut statui ecclesiastico simulque unitati regiminis dioecesis consulatur, tum demum constitutio officialis seu vicarii generalis est necessaria qua remedium experimento probatissimum, quod in casibus modo citatis „saepe Sacra Congregatio diversis temporibus praecipere consuevit“ [2]). Episcopo autem, qui citatas ob causas officialem seu vicarium generalem creare tenetur idque negligit, adiungitur talis ab Urbe vel cum Brevi Apostolico vel cum Litteris Sacrae Congregationis vel cum Patente episcopi ad id compulsi. Talis a Sede apostolica ipsi adiunctus officialis seu vicarius generalis habet iurisdictionem „privative quoad Episcopum, nec Episcopus illum removere potest“ [3]). Mortuo vero episcopo et illius cessat iurisdictio, nisi fuerit missus qua Vicarius Apostolicus, cum talis habeat iurisdictionem usque ad possessionem episcopatus a successore episcopi captam [4]). Archiepiscopus vi sui iuris inspectionis in suffraganeos de negligentia sui suffraganei, qui ad retinendum officialem seu vicarium generalem tenetur, ad Sedem apostolicam tantum referre, neutique autem ipse talem suo suffraganeo valet adiungere [5]).

2. Cum ad finem saec. XII. episcopi ampliorum dumtaxat dioecesum pluribus officialibus uterentur aeque principalibus, tamen iam ab initio saec. XIII. in singulis dioecesibus singuli existebant officiales principales seu vicarii generales usque ad initium saec. XIV. A quo tempore in aliquibus dioecesibus maioribus praeter officialem principalem etiam vicarius in spiritualibus constituebatur generalis, quem usum a iure communi toleratum respicientes plurimi optimorum canonistarum uti Barbosa, Pax-Iordanus, Pirhing [6]), Schmalzgrueber [7]), Van

---

[1]) Ferraris, l. c., Tom. VII. ad v. Vicarius Generalis Episcopi. Articul. I. n. 6.

[2]) Ferraris, l. modo c.

[3]) Ferraris, l. c. n. 6. et 7.

[4]) Analecta Iuris Pontificii, troisième série (première partie du second Volume), Rome 1858., Quatrième étude: Nomination du vicaire-général et ses pouvoirs. p. 911.

[5]) Bouix, l. c., Part. II. Sect. II. c. 3. §. 2. Quaest. 6. a. p. 405.

[6]) Monacelli Formularium, Part. I. Tit. 1. Formula 1. n. 34.

[7]) L. c., Tom. I. Part. IV. Tit. 28. §. 2. n. 16.

Espen[1]), Reiffenstuel[2]), Ferraris[3]) et Bouix[4]) episcopum posse etiam binos Vicarios generales seu Officiales creare putabant, praesertim cum et iuris positivi nullus inveniretur textus decernens unicum tantum constitui debere officialem seu vicarium generalem. Aliter res se habet nostro tempore. Nam S. Congregatio Episc. et Regular. in Almerien. die 6. Septembris 1748. edixit episcopum non posse sine expresso indulto Sedis apostolicae in una eademque dioecesi duos vicarios generales deputare[5]). Usus vero aliquarum dioecesum plures officiales seu vicarios generales constituendi legitime praescriptus et nostro tempore toleratur[6]). Generaliter ergo unicus constitui debet in dioecesi officialis seu vicarius generalis, e qua regula generali casus iuxta sententiam communem excipiuntur sequentes. In dioecesibus, ubi populi diversae linquae diversique ritus existunt, tenetur episcopus pro illis populis vicarium constituere generalem[7]). Item debet in duabus principaliter unitis dioecesibus, si una ab altera notabiliter distat, officialem seu vicarium generalem creare in ea dioecesi, in qua non residet[8]).

---

[1]) L. c., Part. I. Tit. 12. c. 5. n. 4.

[2]) L. c., Lib. I. Tit. 28. §. 3. n. 67.

[3]) L. c., Tom. VII. ad v. Vicarius Generalis Episcopi. Artic. I. n. 8.

[4]) L. c., p. 411.

[5]) „Non potendo i Vescovi senza espresso indulto della Santa Sede deputare in una medesima diocesi due Vicari generali.“

[6]) Martin, l. c., p. 128.: „Quibus vero in Dioecesibus plures Vicarii generales deputari solent, hi numerum duorum vel trium non excedant, omnesque in solidum seu aeque principaliter constituantur, ne forte quae ab eorum singulis provisa gestaque fuerint, viribus careant.“ — Si pluribus officialibus seu vicariis generalibus detur iurisdictio „in solidum“, valent dicta in c. 8. in VI. de offic. et potest. iud. delegati. 1. 14. (Bonifacius VIII.).

[7]) Ex Leonis X. et Clementis VI. literis, et Benedict. XIV. constit. Etsi Pastoralis. 57. de dogm. et ritib. Italo-graec. 26. maii. 1742. (Luise, Codex Canonum Ecclesiae, Neapoli 1873. p. 231. n. 605.)

[8]) Ferraris, l. c., Tom. VII. ad v. Vicarius Generalis Episcopi. Artic. I. n. 12. Distantia triginta milliarium ad hunc effectum reputatur notabilis.

§. 2.

De qualitatibus, quas officialis seu vicarius generalis episcopi debet et quas non debet habere.

1. Debet creari ab episcopo officialis seu vicarius generalis de iure communi nonnisi clericus[1]) tonsuratus[2]) dumtaxat et non coniugatus[3]). In Hispaniarum regnis vero debet qua talis eligi nonnisi in ordine sacerdotali constitutus[4]). Iam vigesimum quintum aetatis suae annum debet attigisse, quae aetas nempe requiritur ad curam animarum suscipiendam[5]) et ad dignitates quascumquae, quae curam animarum habent annexam[6]). Natalibus debet gaudere legitimis, cum illegitimus absque speciali dispensatione papali non possit constitui officialis seu vicarius generalis[7]). Licet testantibus Sac. Congregationis Episc. et Regul. plurimis declarationibus debeat esse doctor vel licentiatus in iure canonico[8]), praecipue quando episcopus ipse est theologus et non iuris consultus, tamen aliquando Sac. Congregatio concessit posse ab episcopo teneri officialem seu vicarium generalem non doctorem, alias tamen idoneum, praesertim dum episcopus residet iuris peritus[9]). Proin doctoratus ad validitatem actuum ab officiali seu vicario generali gestorum absolute non est necessarius[10]). Praeterea officialis seu vicarius generalis „probitate, prudentia, ac rerum gerendarum peritia“ ornatus esse debet[11]).

---

1) C. 2. X. de iudiciis. 2. 1. (Ex synodo Eugenii Papae.) — Cfr. Martin, l. c., p. 128.: „Quod (officium Vicarii generalis) quidem ut Episcopis vere usui esse potest et auxilio, sacro approbante Concilio, volumus ac decernimus, ut illud ecclesiasticis viris deferatur non minoribus annis triginta, et in jure saltem canonico doctoribus, vel alias quantum fieri poterit idoneis . . . Expedit etiam, ut sacerdotali sint charactere insigniti.“

2) Ferraris, l. supra c., Artic. I. n. 18.

3) Schmalzgrueber, l. c., Tom. I. Part. IV. Tit. 28. §. 2. n. 17.

4) Ferraris, l. supra c., Artic. I. n. 26.

5) C. 7. X. de electione et electi potestate. 1. 6. (Alexander III. in concilio Lateranensi.).

6) Concil. Trid. sess. 24. c. 12. de reform.

7) Leurenius, l. c., Cap. 1. Quaest. 44.

8) Ferraris, l. supra c., Artic. I. n. 38.

9) Ferraris, l. supra c., Artic. I. n. 39. — Concilium Trid. sess. 24. c. 16. de reform. loquitur nonnisi de Vicario Capitulari.

10) Martin, l. c., p. 128.

11) Martin, l. modo c.

2. Non debet officialis seu vicarius generalis constitui frater Ordinis Minorum etiam de licentia superioris[1]) neque ullus monachus ex ordine mendicantium, qui ad religionem non mendicantium transiit[2]). Quibus solis exceptis omnem religiosum posse assumi ad hoc officium licet non absque licentia apostolica evidenter demonstrat de Moy[3]). Parochus curam habens animarum neque in civitate neque extra civitatem constitutus episcopalem, etiamsi in parochia habeat coadiutorem, non debet eligi[4]), ne a suo munere abducatur, „in quod incumbere totus debet"[5]). Si tamen sine indulto apostolico eiusmodi fieret nominatio, utrum esset illicita, an invalida, inter doctores quaeritur. Illicita autem sit habenda, dummodo ne afferantur iuris positivi textus nullitatem nominationis in hoc casu definientes[6]). Eo minus potest episcopus actu propriam habens dioecesim officialis seu vicarius generalis assumi episcopi alterius. Episcopus vero nullatenensis seu titularis potest, imo debet vicarius et in pontificalibus et in spiritualibus constitui ab episcopo in dioecesi sua populos diversae linguae diversique ritus habente[7]). Poenitentiarius non debet eligi, „ne suspicionem ingerat, quod in administratione Iustitiae utatur scientia Confessionis; nisi tantae sit apud omnes bonae famae, et opinionis, ut excludatur huius modi suspicio"[8]). Ut officialis seu vicarius generalis omnino sine respectu personarum iustitiam possit exercere, plurimae a fine saec. XVI. usque ad nostrum saeculum editae declarationes Sac. Congregationis super Episc. et Regular. prohibent, ne ad hoc officium eligatur originarius civitatis episcopalis vel dioecesis vel is, qui in dioecesi possidet beneficium vel canonicatum saecularem[9]). Super hac

---

[1]) Clem. 1. de verborum significat. (5. 11.) post medium. — Cfr. Sbrozzius, l. c., Lib. I. Quaest. 38. n. 5.

[2]) Clem. 1. de regularibus et transeuntibus ad religionem. (3. 9.) (Clemens V. in concilio Viennensi.).

[3]) L. c., p. 425.

[4]) Ferraris, l. supra c., Artic. I. n. 27.

[5]) Martin, l. supra c.

[6]) Bouix, l. c., p. 395.

[7]) Leurenius, l. c., C. 1. Quaest. 55.

[8]) Ferraris, l. supra c., Artic. I. n. 36.

[9]) de Moy, l. c., p. 426. et sequ. — „Non est de necessitate, ut Vicarius eligatur de gremio capituli; caeteris tamen paribus praeferendus est capitularis." Congregat. Concil. in Panorm. 9. sept. 1594. (Luise, l. c., n. 615.).

autem regula generali saepe S. Congregatio solet dispensare, praesertim „si Episcopus adhuc extraneum idoneum invenire nequiverit, si Vicarius exterus non tam cito possit accedere, item propter tenuitatem fructuum Ecclesiae, propter aëris intemperiem, item propter notitiam bonarum qualitatum talis Vicarii Dioecesani, qui sit eximius in regimine“ [1]). Si tamen absque pontificia dispensatione non exterus eligeretur, eo non afficeretur actuum eius gestorum validitas [2]). Praeterea etiam contraria et legitime praescripta consuetudo illi generali regulae valet abrogare [3]). Dein „obtrectationis vitandae causa“ [4]) nec frater nec nepos nec alius episcopi consanquineus debet esse officialis seu vicarius generalis, „nisi hoc S. Congregatio ad aliquod tempus concedat propter bonas qualitates subjecti, ac aliorum idoneorum penuriam“ [5]).

§. 3.

De forma constitutionis officialis seu vicarii generalis episcopi.

Cum potestas officialis seu vicarii generalis sit iudicanda ex ipsa commissione, debet, „ne fraus aut error in his contingat“ [6]) et „ad probationem in casu, quo a partibus ejus auctoritas super aliquo, speciali de iure Episcopo reservato, negaretur, vel alias in dubium revocaretur“ [7]), in scriptis constitui, quae in principio sui officii coram capitulo cathedrali per cancellarium publicare et deinde penes acta cancellariae per extensum registrari faciat, licet ad ipsius deputationis validitatem scriptura non sit necessaria [8]). Clero nec non gregi fideli eius electio currenda consistoriali solet notificari [9]). Dein, ut in principio sui officii

---

1) Ferraris, l. supra c., Artic. I. n. 35.
2) Bouix, l. c., p. 398.
3) Bouix, l. c., p. 398.
4) Martin, l. c., p. 128.
5) Ferraris, l. c., Tom. VII. ad v. Vicarius Generalis Episcopi. Artic. I. n. 29.—34.
6) Van Espen, l. c., Part. I. Tit. 12. §. 5. n. 6:
7) Monacelli Formularium, Part. I. Tit. 1. Formula 1. n. 30.
8) Monacelli Formularium, l. modo c.
9) V. g. in Currenda Consistoriali V. anni 1893. archidioeceseos Olomucens. talis electio notificatur.

episcopo praestet iusiurandum, haud raro decernunt conciliorum statuta[1]).

Quoad sustentationem officialis seu vicarii generalis lectorem remitto ad Leurenium[2]) et quoad eius praecedentiam ad Ferraris bibliothecam[3]).

Caput VI.

De potestate officialis seu vicarii generalis episcopi.

Pluribus huius dissertationis locis praeprimis historiam officialis seu vicarii generalis referens notasque officii ipsius singulares deducens mentionem iam feci et ipsius potestatis. Essentialis huius officii, ut supra erat dictum, proprietas semper fuit haec, quod ipsi ab episcopo committebatur mandatum generale, ita ut ad generalitatem seu universitatem negotiorum et contentiosae et voluntariae iurisdictionis episcopalis deputatus omnem episcopo competentem iurisdictionem ordinariam[4]) vice eius posset exercere. Quae magna eius potestas, cum usque ad Bonifacium VIII. voluntate tantum episcopi et consuetudine recepta limitaretur[5]), ab illo pontifice ad nostra usque tempora restricta est et iure communi.

§. 1.

De potestate officialis episcopi ab ipsius initiis usque ad Bonifacium VIII.

Officialis episcopi vices supplebat episcopi in causis spiritualibus, civilibus et criminalibus.

Ad eum spectabat institutio beneficiorum[6]). Collecta pecunia nonnisi de eius mandato loco illi, ad quem facta erat collectio,

---

[1]) V. g. c. 1. Forma juramenti judicum. synodi Cantuariens. anni 1295., Harduin. VII. p. 1182. — Formulas deputationis officialis seu vicarii generalis refert adhuc Bouix, l. c., p. 477. et sequ.

[2]) L. c., Cap. 5. §. 1.

[3]) L. supra cit., Artic. 3.

[4]) Benedict. XIV., l. c., II. 8. 2.

[5]) Illud c. 1. (Innocentii IV. in concilio Lugdunensi) in VI. de offic. ordinarii. 1. 16. ad solos officiales metropolitanorum spectat.

[6]) C. 3. X. de institutionibus. 3. 7. (Alexander III. Cantuariensi Archiepiscopo et eius Suffraganeis.). — Concil. Rothomagens. c. 27. anni 1189., Harduin. VI. part. II. p. 1908.

erat conferenda[1]). Sustentatio sacerdotum et clericorum in ecclesia ministrantium per eum erat moderanda[2]). Religiosos, ut suas vicarias insufficientes augerent, per eorum beneficiorum subtractionem poterat compellere[3]). Sacerdotes alienae ordinationis, et qui locum mutaverant, qui in dioecesi ad parochias custodiendas vel ad divina celebranda erant admittendi, debebant praesentari ei, a quo aut approbarentur aut reprobarentur[4]). Et si tales, qui clandestinis interfuerant matrimoniis, matrimonium erant contracturi, eorum benedictio nuptialis non erat celebranda absque officialis licentia speciali[5]). Causae divortii examinatae et plene instructae per eum canonice erant decidendae[6]). Interdictum ingressum ecclesiae prohibens[7]) et suspensio ab officii executione sacerdotibus ab episcopo facta[8]) ab eo poterant relaxari. Archipresbyteri nonnisi de speciali eius mandato causas cognoscere vel audire vel sententiam interdicti, excommunicationis aut suspensionis proferre poterant[9]). Nomina et parochianorum semel in anno non confitentium[10]) et publicorum vel super hoc diffamatorum usurariorum[11]) puniendi causa ad eum a sacerdotibus erant mittenda. Item erat infra mensem a tempore obitus testatoris ad eum deferendum illius testamentum, si esset scriptum[12]). Excessus publici praelatorum vel aliorum clericorum ad mandatum officialis in quolibet decanatu ei erant denunciandi[13]). Apparitores etiam decanorum, si crimina celaverint, per eum graviter erant puniendi[14]). Et officialis Cantuariensis

---

[1]) Constitutiones Synodales circiter annum 1237. De sententiis. Harduin. VII. p. 311.

[2]) Synod. Wigorniens. c. 26. anni 1240., Harduin. VII. p. 340.

[3]) Ibidem c. 41. p. 344.

[4]) Ibidem c. 52. p. 346.

[5]) Synod. Claromontens. c. 8. part. 1. anni 1268., Harduin. VII. p. 601.

[6]) Synod. Exoniens. c. 7. anni 1287., Harduin. VII. p. 1083.

[7]) Synod. Claromontens. c. 6. anni 1268. part. 2., Harduin. VII. p. 609.

[8]) Synod. Exoniens. c. 36. anni 1287., Harduin. VII. p. 1105.

[9]) Synod. Claromontens. c. 8. part. 2. anni 1268., Harduin. VII. p. 611.

[10]) Synod. Coloniens. c. 8. anni 1280., Harduin. VII. p. 828.

[11]) Synod. Claromontens. c. 7. part. 1. anni 1268., Harduin. VII. p. 598. D.

[12]) Synod. Claromontens. c. 4. part. 2. anni 1268., Harduin VII. p. 607.

[13]) Constitutiones Provinciales Cantuariensis Archiepiscopi circiter annum 1236. c. 21., Harduin. VII. p. 271.

[14]) Synod. Wiorniens. c. 25. anni 1240., Harduin VII. p. 339.

adhortabatur, ut citius rescriberet „videlicet in testamentariis, matrimonialibus, alimentorum et beneficiorum causis et negotiis, ubi de violenta intrusione, seu spoliatione, aut declaratione vacationis ecclesiae, seu de providendo ecclesiae vacanti" suggerebatur [1]). Sigillo utebantur authentico [2]).

Haec erat officialis episcopi potestas circa finem XIII. saeculi. Vicarius vero generalis in haud adeo amplis Italiae eique vicinarum terrarum dioecesibus vigens tanta ac officialis non gaudebat potestate, cum episcopi illarum dioecesum causas arduas plerumque sibi ipsis reservarent et vicario concederent, quando agerent in remotis.

§ 2.

De episcopalis iurisdictionis [3]) negotiis mandatum speciale requirentibus [4]).

1. Ne officialis episcopi sua potestate fretus eam haberet propriam aut personalem neve putaret episcopum constituendo ipsum adeo iurisdictionem exuisse contentiosam, ut nec posset causas ecclesiasticas ad forum suum spectantes sibi iudicandas et per se decidendas reservare [5]), et ut episcopo vim in clericos servaret et praecaveret eventualibus abusibus officialis seu vicarii generalis, restrinxit Bonifacius VIII. eius potestatem eo, quod declaravit non solum causas criminales, potestatem nempe „inquirendi, corrigendi aut puniendi aliquorum excessus, seu aliquos a suis beneficiis, officiis vel administrationibus amovendi" [6]) qua actus „magis arduos" [7]), sed etiam beneficiorum collationem [8]) qua actum „liberalitatis et gratiae" [9]) episcopi non competere officiali seu vicario generali neque in generali mandato officii

[1]) Synod. Cantuariens. c. 4. anni 1295., Harduin. VII. p. 1183.

[2]) Concil. Londoniens. c. 28. anni 1237., Harduin. VII p. 301.

[3]) Ordinis et dignitatis episcopalis negotia ad rem non spectantia prorsus silentio praetereo. Cfr. de Moy, l. c. p. 412. et 413.

[4]) Mandatum nempe generale officialis seu vicarii generalis iudicatur ex iisdem principiis ac id iuris Iustinianei procuratoris sic dicti generalis, cui 21 casus censeri permissos negat Paponius (?). Cfr. Gothofredi, l. c., not. „g" ad l. Si procurator. 10. pr. Cod. Iust. de procuratoribus. (II. 13.).

[5]) Van Espen, l. c., Part. I. Tit. 12. c. 4. n. 11.

[6]) C. 2. in VI. de offic. Vicarii. 1. 13. (Bonifacius VIII.).

[7]) Reiffenstuel, l. c., Tom. I. Lib. I. Tit. 28. §. 4. n. 80.

[8]) C. 3. in VI. de offic. Vicar. 1. 13. (Bonifacius VIII.).

[9]) Benedict. XIV., l. c., II. 8. 2.

ei commissi contineri, nisi episcopus in commissione officialatus seu vicariatus praedictorum actuum expressam faceret mentionem seu specialiter mandaret[1]). Post Bonifacium VIII. citatis adhuc alii accedebant casus mandatum speciale requirentes. Necesse enim habebatur, ut officialis seu vicarius generalis speciali mandato opus haberet etiam in iis iurisdictionis ordinariae actibus, qui iure communi definitis vel similes essent vel graviores[2]). Exceptis pluribus casibus dubiis communiter nostro tempore enumerantur 28 casus speciale mandatum requirentes[3]).

2. Sine speciali mandato officialis seu vicarius generalis nequit 1. inquirere, corrigere aut punire aliquorum excessus seu aliquos a suis beneficiis, officiis vel administrationibus amovere[4]); 2. neque conferre beneficia[5]); 3. neque beneficia unire neque dividere; 4. neque beneficia erigere nec iurispatronatus fundationi consensum praestare; 5. neque praesentare ad beneficium iurispatronatus ad episcopi praesentationem pertinens; 6. neque parochias erigere; 7. nec in creatione novae dignitatis auctoritatem praestare; 8. nec imponere pensionem super beneficiis in casibus, in quibus id potest episcopus; 9. neque dare alicui parocho imperito vicarium coadiutorem ad formam Concil. Trid. sess. 21. c. 6. de reform.; 10. neque deputare aliquem in oeconomum alicuis ecclesiae; 11. nec ecclesias dirutas et vetustate collapsas, quae ob illarum et parochianorum inopiam nequeunt restaurari, in matrices erigere vel in alias viciniores ecclesias transferre; 12. neque mutare statum alicuius ecclesiae in casibus, in quibus id potest episcopus; 13. nec alienare res ecclesiae aut in alienationibus seu transactionibus earundem decretum inter-

---

[1]) Fournier, l. c., p. 22.: „Le mandat spécial (c'est-à dire la mention expresse de l'act dans la commission de l'official) est exigé pour juger des causes matrimoniales . . .“

[2]) Sauter, Fundamenta Iuris Ecclesiastici, ed. III. Rotwilae 1826, volum. II. p. 85.

[3]) Cfr. Sbrozzii, l. c., Librum II.; Leurenii, l. c., Cap. III. et IV.; Ferraris, l. c., Artic. II.; Bouix, l. c., Part. II. c. 4. §.§. 2., 5. et 6. et de Moy, l. c., p. 412. 415.

[4]) L. c. — Potest autem sine mandato speciali inquirere ad effectum referendi aliquorum excessus episcopo vel ad emendandum et scandala praecavenda et levem v. g. pecuniariam imponere punitionem. Cfr. Reiffenstuel, l. c., Tom. I. Lib. 1. Tit. 28. §. 4. n. 81.

[5]) L. c. — Potest autem absque mandato speciali confirmare atque praesentatos a patronis instituere in beneficiis. Cfr. Reiffenstuel, l. supra c. n. 83

ponere; 14. neque concedere licentiam aedificandi nova monasteria et conventus in dioecesi; 15. neque concedere alteri episcopo licentiam exercendi pontificalia; 16. nec interdicta relaxare; 17. neque concedere dimissorias pro recipiendis ordinibus episcopo praesente[1]); 18. nec alium vicarium sibi substituere; imo etiam cum speciali facultate episcopi vicarium sibi substituendi non potest id facere nisi e legitima causa et ad modicum tempus; 19. neque dispensare in irregularitatibus et absolvere a suspensionibus e delicto occulto provenientibus ac ab aliis casibus occultis Sedi apostolicae reservatis, licet id possit episcopus ad formam Concil. Trid. sess. 24. c. 6. de reform.; 20. neque cognoscere de crimine haeresis; 21. neque cognoscere causas restitutionis in integrum, prout asserunt aliqui; 22. neque deferre iuramentum purgationis canonicae; 23. nec auctorare exemplum ex originali sumptum, ut eandem vim et auctoritatem habeat cum originali; 24. neque bona clericorum confiscare; 25. nec exercere potestatem doctorandi, quam episcopus e privilegio habet; 26. neque poenas corporales in pecuniarias commutare; 27. nec exequi pias defunctorum voluntates; 28. neque generatim ea explere, quae episcopo competunt non de iure communi, sed dumtaxat de iure speciali ultra ius commune, cum non censeantur comprehensa in generali mandato officialis seu vicarii generalis. E contra potest exceptis citatis casibus omnem episcopi iurisdictionem ordinariam[2]) exercere, „adeo, quod stet praesumptio pro eo, eiusque potestate, donec ostendatur, sive Iure scripto, sive recepta Ecclesiastica consuetudine, hunc vel illum casum inter speciales recenseri“[3]).

---

[1]) C. 3. in VI. de tempor. ordinationum et qualitate ordinand. 1. 9. (Bonifacius VIII.). — Potest autem sine speciali mandato dimissorias concedere absente episcopo, et si consuetudo ipsi hoc permittit. Cfr. Schmalzgrueber, l. c., Tom. I. Part. 3. Tit. 11. §. 5. n. 48.

[2]) Benedict. XIV., l. supra c. — Proin potest et ipse in casibus a Concilio Trid. nominatis, in quibus episcopus procedere potest „etiam tamquam Sedis Apostolicae delegatus“, procedere sine speciali mandato, nisi sint forte excepti. Cfr. Phillips, Kirchen-Recht, 6. Bd. Regensburg 1864., §. 347. n. V. et Bouix, l. c., p. 427. Actus vero, quos episcopus agit ut specialis delegatus apostolicus, generaliter loquendo potest episcopus subdelegare suo officiali seu vicario generali, nisi in rescripto delegationis electa censeatur industria personae episcopi. Cfr. Monacelli Formularium, Part. I. Tit. 1. Form. 1. n. 43. et 44.

[3]) Reiffenstuel, l. c., Tom. I. Lib. 1. Tit. 28. §. 4. n. 79.

§. 3.

De duplici via, qua obtinetur potestas tractandi actus speciale mandatum requirentes[1]).

1. Sicut consuetudo aliquos actus ordinariae episcopi iurisdictionis facere valet actus mandatum speciale requirentes, ita et consuetudo aliquos actus arduos exuere potest mandato speciali. Sic consuetudine fere ubique recepta officialis seu vicarius generalis dispensat in denunciationibus praemittendis contractui matrimoniali et cognoscit causasque iudicat matrimoniales „ordinariae episcopi iurisdictioni subiectas, licet ob arduitatem suam criminalibus aequiparantur“[2]).

2. A beneplacito[3]) prorsus dependet episcopi, utrum in constitutione officialatus seu vicariatus generalis pauca vel multa vel plura an omnia concedat specialia[4]). Cum autem specialia non committantur, nisi exprimantur[5]), non sufficit in mandato generali concedi officiali seu vicario generali plenam et liberam potestatem agendi omnia, quae potest ipse episcopus, etiam cum clausula: „etsi speciale mandatum requirant“[6]). Nec sufficit formula, qua episcopus testaretur se officiali seu vicario generali suo concedere facultatem „etiam ad ea omnia, quae speciale mandatum requirunt“, nisi simul aliqua ex istis specialibus exprimat, cum dicta clausula in iure censeatur nimis generalis[7]). Secus foret, quando episcopus dictam facultatem concedens expressit aliquem vel aliquos de casibus speciale mandatum requirentibus apposita postea illa clausula: „et omnia alia, licet mandatum exigant speciale.“ Tunc enim poterit officialis seu vicarius generalis etiam alia exercere specialia minora aut aequalia expressis[8]), cum graviora illa generali clausula non contineantur[9]). In interpretandis specialibus est etiam adhibenda interpretatio stricta.

---

1) Quoad qualitatem iurisdictionis horum actuum cfr. §. 3. n. 2. c. 4. huius dissertationis.

2) Schmalzgrueber, l. c., Tom. I. Part. IV. Tit. 28. §. 2. n. 23.

3) Van Espen, l. c., Part. I. Tit. 12. c. 5. n. 5.

4) Monacelli Formularium, Part. I. Tit. 1. Form. 1. n. 53.

5) Schmalzgrueber, l. supra c., n. 24. iuxta reg. Juris 81. in VI.

6) Schmalzgrueber, l. modo c.

7) Reiffenstuel, l. supra c. n. 89.

8) Schmalzgrueber, l. supra c. n. 24.

9) Clem. 2. de procuratoribus. 1. 10. (Clemens V. in concilio Viennensi). — Reiffenstuel, l. supra c. n. 89.

Si nempe ipsi data sit v. g. potestas destituendi, per hoc non habet potestatem conferendi beneficia, et vicissim [1]). Si autem officialis seu vicarius generalis fines mandati excedens tractaret specialia absque speciali mandato, omnia eius in illis specialibus gesta ipso iure essent nulla ac irrita „ob defectum iurisdictionis" [2]).

Caput VII.

De exspiratione iurisdictionis officialis seu vicarii generalis episcopi.

Iurisdictio officialis seu vicarii generalis exspirat: 1. per mortem officialis seu vicarii generalis; 2. per eius renunciationem aut expressam aut tacitam, si v. g. egrediatur e dioecesi animo extra eam perpetuo manendi [3]); 3. per eius revocationem [4]) et remotionem, in qua „tamen est semper habenda ratio honoris ipsius. Unde facienda est cum magna circumspectione, et cum gravi, et iusta causa, alias reintegrari potest per Sacram Congregationem Episcoporum" [5]). Propterea episcopus eum antea debet certiorem facere de eius futura remotione, ut se iustificet. Quod si non sit factum, potest officialis seu vicarius generalis recurrere ad S. Congregationem Episc. et Regular., quae episcopo prohibet, ne causa pendente alium officialem seu vicarium generalem nominet [6]). Causae vero iustae, pro quibus removeri potest, praeprimis sunt sequentes [7]): a) si de eo audiantur multae querelae; b) quando non bene regit et gubernat, nec certiorem facit S. Congregationem de causis magni momenti in defectu vel absentia episcopi; c) si scribat irreverenter ad S. Congregationem eiusque officiales; d) si aliquem e S. R. E. Cardinalibus ea, qua decet, reverentia non tractet; e) si careat circumspectione et prudentia, licet in reliquis esset idoneus; f) si excommuni-

---

[1]) Schmalzgrueber, l. supra c. n. 24. 8.

[2]) Reiffenstuel, l. supra c. n. 80.

[3]) Leurenius, l. c., Cap. 5. Qu. 290. n. 2.

[4]) Cfr. §. 2. n. 4. c. 4. huius dissertationis.

[5]) Ferraris, l. c., Tom. VII. ad v. Vicarius Generalis Episcopi. Artic. 3. n. 29.

[6]) Analecta Iuris Pontificii, l. supra c. p. 921. et sequ.

[7]) Ferraris, l. supra c. Artic. 3. n. 30—37. incl.

catus existat; g) si mandatis S. Congregationis obedire renuat; h) si oriundus fuerit ex eadem civitate vel dioecesi. Ceterum et papa potest eum removere, praesertim cum querelas de officiali seu vicario generali et S. Congregatio Episc. audiat, cuius praeceptis obedire debet etiam episcopus[1]). E contra episcopus non potest revocare aut amovere vicarium a papa confirmatum ad vitam vel e certa scientia[2]). Revocatio ipsa debet ei notificari vel per episcopum eiusque epistolam vel per alium nomine illius v. g. per procuratorem vel nuncium ad id destinatum[3]). Alioquin, „si revocationem ignoret, imo etiam si sciat, nondum autem facta sit ei intimatio, per eum etiam post revocationem gesta valebunt[4]). 4. per episcopi mortem[5]) ipso facto, ita ut non sit opus revocatione per capitulum[6]). „Gesta vero a vicario ignorante mortem episcopi longe distantis valent, dummodo mors non a solo vicario, sed etiam communiter ab aliis ignoretur, quia error communis ius facit, tribuitque vicario illi iurisdictionem“[7]). 5. per eius depositionem[8]). 6. per eius renunciationem admissam a papa[9]). 7. per eius ad aliam ecclesiam translationem et permutationem episcopatus[10]). 8. per ingressum religionis episcopi[11]). Omnibus his casibus officialis seu vicarius generalis privatur omni iurisdictione, ita ut nec causas iam coeptas possit perficere[12]).

Si autem episcopus a paganis, schismaticis, haereticis vel aliis ecclesiae hostibus captus in sua dioecesi reliquerit officialem seu vicarium generalem in exercitio sui officii haud impeditum eumque non revocaverit, huius officialis seu vicarii generalis iurisdictio haud quaquam exspirat, ita ut c. Si episcopus. 3. de supplenda neglig. in VI. (1. 8.) ad praedictum non pertineat casum[13]).

---

1) Analecta Iuris Pontificii, l. supra c. p. 921.—926.
2) Leurenius, l. c., Cap. 5. Qu. 292. n. 1.
3) Leurenius, l. modo c. n. 3.
4) Schmalzgrueber, l. supra c. n. 25. n. 4.
5) Cfr. §. 2. n. 4. c. 4. huius dissertationis.
6) Leurenius, l. c., Cap. 5. Qu. 290. n. 5.
7) Reiffenstuel, l. supra c. n. 104.
8) Sbrozzius, l. c., Lic. 3. Qu. 33. n. 6.
9) Sbrozzius, l. c., Lib. 3. Qu. 42. n. 2.
10) Sbrozzius, l. c., Lib. 3. Qu. 42. n. 6. et 11.
11) Sbrozzius, l. c., Lib. 3. Qu. 42. n. 4.
12) Reiffenstuel, l. supra c. n. 104.
13) Sic anno 1811. Pius VII., cum Napoleon dominum de Boulogne, episcopum Trecensem, cepisset, statuit, ut Vicarii eius generales pergerent

9. Per excommunicationem, suspensionem aut interdictum episcopi[1]) impeditur ac suspenditur eius iurisdictio quoad causas etiam iam coeptas[2]) gestaque eius omnia sunt irrita „censura tali durante“[3]). Iurisdictio autem eius qua delegati episcopi non suspenditur excommunicato delegante episcopo, cum in causa sibi ab episcopo delegata non faciat idem cum eo consistorium[4]). Si officialis seu vicarius generalis ipse existat excommunicatus, suspensus aut interdictus, non solum eius iurisdictio suspenditur, sed et ipsius substitutus, quem sibi cum speciali episcopi mandato cooptavit, impeditur „causas coeptas ante eius excommunicationem postea perficere“[5]). De excessibus sui officialis seu vicarii generalis non tenetur episcopus, si inculpabiliter improbum aut imperitum elegerit et retinuerit[6]); alioquin tenetur etiam ad restitutionem damnorum per illum datorum[7]). De excessibus eius iudicat etiam in prima instantia archiepiscopus[8]). Finito dein officialis sive vicarii generalis officio liber est ab omni obligatione standi syndicatui[9]).

---

regere dioecesim, cum episcopus eos nondum revocasset (Historisch-politische Blätter 2. Bd. Das Metropolitankapitel zu Köln. p. 168.). Item Gregorius XVI., cum anno 1837. occasione captivitatis archiepiscopi Coloniensis capitulum elegisset vicarium capitularem, Brevi d. 9. Maii 1838. hanc electionem reprobans edixit electum, cum simul esset vicarius generalis archiepiscopi captivi, nonnisi propterea et nonnisi qua talem tolerari. (Schneider, Die Bischöflichen Domkapitel, p. 485. et sequ.). — Cfr. Martin, l. c., 4. Schema. De sede episcopali vacante. cap. 1. p. 134.: „Sede vero per Episcopi captivitatem vel relegationem aut exilium impedita, illius regimen penes Episcopi Vicarium, vel quemlibet alium virum ecclesiasticum ab Episcopo delegatum remaneat, donec aliter ab hac Sede Apostolica provideatur. Iis autem deficientibus vel impeditis, Capitulares Vicarium constituent, totiusque rei eventum quam primum ad ejusdem S. Sedis notitiam deferent . . .“

1) Cfr. §. 3. n. 3. c. 3. huius dissertationis.

2) Leurenius, l. c., Cap. 3. Qu. 202. n. 2.

3) Schmalzgrueber, l. supra c. n. 25. 5.

4) Sbrozzius, l. c., Lib. 3. Qu. 17. n. 11.

5) Sbrozzius, l. c., Lib. 3. Qu. 18. n. 10. — Secus foret, si ille substitutus esset constitutus ab episcopo. Cfr. Sbrozzium, l. c., Lib. 3. Qu. 18. n. 14.

6) Sbrozzius, l. c., Lib. 3. Qu. 29. n. 7.

7) Sbrozzius, l. c., Lib. 3. Qu. 30. n. 2.

8) Cfr. §. 3. n. 3. c. 3. huius dissertationis.

9) Ferraris, l. c., Artic. 4. n. 11. Tom. VII. ad v. „Vicarius Generalis Episcopi“.

Vita.

Carolus Schmalz natus sum in pago Hennersdorf Silesiae Austriacae die XXIV mensis Octobris 1870, patre Carolo et matre Maria e gente Titze orta, quos mihi parentes Deus per multos adhuc annos servet incolumes. Primis literarum elementis imbutus lectiones mei avunculi, Ioannis Titze, ludi magistri Batzdorfiensis, frequentavi; XII vero annos natus adii a. e. seminarium Cremsiriense, e quo testimonium maturitatis a. c. r. germanico gymnasio Cremsiriensi anno 1890 adeptus transii in a. e. seminarium Olomucense. Auditor ibi factus ordinarius c. r. facultatis theologicae Olomucensis a. cl. et rev. Dominis prof. Kohn, qui gloriosissime nunc regit archidioecesim Olomucensem, Mlčoch, Pánek, Kadeřávek in varias theologiae disciplinas inductus sum. Duo post semestria petivi qua civis Borussicus Universitatem Vratislaviensem, in qua lectionibus cl. et rev. Dom. prof. Friedlieb, Müller, Laemmer, Koenig, Scholz, Krawutzky, Probst, Baeumker interfui. Et in seminaria a prof. Laemmer et Koenig, vir. ill. et rev., receptus per tria semestria in studia historiae ecclesiasticae et iuris ecclesiastici et theologiae dogmaticae operam impendi. Praecipue cl. et. rev. Dominus prof. Laemmer rara humanitate ac paterna caritate studiis meis semper adfuit, cui viro facere non possum quin publice hic gratias agam quam maximas. Triennio theologico exacto per annum unum in seminario cler. Vratislaviensi commoratus sum et presbyter ibidem die XI. mensis Iunii a. 1894 factus prius in urbe Hultschin et deinde in urbe Katscher capellani munere ad hunc diem functus sum.